

gerare. Lucius Columella rutæ aliquid & porri concidere præcipit, atq; ita mi-
 scere, tum ficcatos coliculos ita cõponere, vt fascoli virides integri interponan-
 tur, quos ipsos antè dura muria die nocteq; macerare oporteat, similiterq; assic-
 catos cum lactucarum fasciculis condi. Sed syluestris lactuca similis est fatiux, ra-
 5 dice breuior, proceriore tantũ caule, candidioribus folijs, gracilioribúsq; gustu
 amaris, & asperioribus, quæ, vt addidit Theophrastus, vbi consummata sunt a-
 culeantur. Hæc sponte nascitur in aruis, lacte manat copioso, acri medicatõq;
 quod carpitur per messes inciso scapo, præclarũ ad multa. Nam aquam subter-
 cutem fusam extrahit, caliginẽ ab oculis arceat. Argemas tollit cum humano la-
 10 cte. Hæc nisi sensus me deficiat, est quæ passim ab officinis nostris nunc *endiui*
 dicitur, cum in aruis nascatur sponte & vinetorum limitibus, folio cum adole-
 uit per oras aculeato, dorso spinulis inhorrescẽte, quasi prona carinæ parte echi-
 nata, supina læuiore, nonnunquam cum insenuit laciniatim serrato, caulibus bi-
 cubitali proceritate consurgentibus, hirtis, flore luteo, succo candido, amaro, a-
 15 cri, ideo linguam & os aliquantulum vellicante. huius vti fatiux semẽ occultitur
 lanugine, de qua nonnihil inter intubi genera diximus. Theophrastus tamen bre-
 uiori caule perfici tradit. quæ omnia videntur ad hanc alludere quam vulgus
 medicorum perperam, vti diximus, endiuia cum officinis appellat, cuius
 decoctum saccaro condiunt. Hæc vna tantũ Dioscoridi fuit. Plinio tamẽ spon-
 20 te nascens lactuca in multas species degenerat, quarum tamen hæc sint commu-
 nia, candor caulis, interdum cubitali longitudine & ipso & folijs scabritia, suc-
 cus acris, lacteus, ad multa præclarus, viribus quoq; papaueri similis. Syluestrium
 principẽ fecit caprinam, qua pisces in mare deiecta protinus necantur, qui sunt
 in proximo. Verum quæ sit huius facies, quisve peculiaris habitus ipse non re-
 25 præsentat. Alterum genus tradit à Græcis *esopon* vocari, & in aruis nasci, cuius
 itidem imaginem non explicuit. De isati siue *glasto*, etiam quæ generi sylue-
 strium eidem assignantur, si deus votis subscribat, suo loco differemus. Lactu-
 ca, vt Galeno placet, frigidum humidumq; succũ creat, sed innocentẽ. Ea neq;
 aluũ retinet neq; pellit. Præfertur, nec iniuria, reliquis oleribus, cũ ne vllum quidẽ
 30 succi melioris inueniatur. Nec immerito Galenus explodendam cõset eorũ opi-
 nionẽ, qui vitio vertãt, quod in maximam eius laudem cedere debet. Clamant
 olus hoc copiosum gignere sanguinem. Quotusquisque vitio dabit lactucam
 laudatissimo succo donatam, plurimum creare sanguinem? quod nulli olerum
 natura comparatum est. Si eo nomine eam damnent, à veritate prorsus deficere
 35 cognoscuntur, quòd huic malo perquam facile posset occurri. quippe cum ve-
 scentibus exercitationi se credere, aut ea parcius vti liberum sit. Asserit tamen
 Galenus reliqua omnia olera paucissimum sanguinem, & eum quidem vitio-
 sum parere, lactucam solam non multum quidem nec improbum, haud tamen
 omnium ex parte laudabilem progignere. Multus eius & crudæ & coctæ eru-
 40 pit vsus. Oleo, garo & aceto condiri solet. Galenus in iuuenta, cum os ventriculi
 crebro flaua bile incandesceret, æstuationis infrenandæ gratia lactucas esitabat:
 confectus senecta hoc olere, quo posset placidiorem inire somnum, vescebatur.
 ad quem conciliandum lactuca vesperi mansa præfens attulit auxilium. Lactu-
 cæ natura refrigeratrix, & ideo æstate grata. A stomacho fastidium aufert, cibi-
 45 que appetentiam inuitat. Sanguinẽ augere creditur. Aestus refrigerat, somnum

accersit, iuuat stomachum, emollit ventrē, lactis auget vbertatem. Decocta plus
 alit. Nō elota cibo dissolutum stomachum firmat. Semine trito & potu crebras
 libidinum imaginationes in somno compescit, & veneris impetus cohibet. Fre-
 quētior in cibo claritati oculorū officit. Afferuatur in muria. Cum in caulē pro-
 filijt vim quandam adipiscitur succo aut lacti syluestris lactucæ parē. Crudita-
 tem ipsa nequaquam facit, sed concoctiones adiuuat. Semen contra scorpiones
 datur. Ambustis prodest recentibus, antequam pustulæ fiant cum sale illita. Vl-
 cera quæ serpunt coercet initio cum aphronitro: mox in vino igni sacro illini-
 tur. Conuulsa & luxata caulibus tritis cum polenta ex aqua frigida lenit. Eru-
 ptiones papularum ex vino & polenta discutit. In cholera quoque coctam pa-
 tellis dederunt. Deferuefacti caules stomacho vtilissimi tradūtur. Dantur & cœ-
 liacis cum intubo erratico, & ad duritiam præcordiorum & vesicæ vitia. Praxa-
 goras dysentericis dedit. Cæterum Græcorum quoq; dissidentes in quibusdam
 opiniones inferi conueniet. Suo vt narrant frigore incandescētes mulcet inflam-
 mationes. Sitim cibo restinguit, præstatque vt ea vescentes somno facilius in-
 dulgeant. Lac elicit. Cocta copiosius alit. Desideria veneris amolitur, vnde Py-
 thagorici eunuchion eam appellauere, sicut & mulieres astylida. Nec vlla res ma-
 iorem in cibus auiditatem incitat, magisq; fastidia discutit: lentitiam pituitæ di-
 gerit, veneris impetus refrenat. Sumpta cum passo vel aceto bilis acrimoniā do-
 mat. Præcordia cum hyssopo & aceto iuuat, sed addito dulci acrementum ace-
 ti tēperante, si crassior pituita sit, vino scyllite, aut vino absinthite: si tussis sentia-
 tur, hyssopite admisto. Cocta & ex rosaceo data choleram sedat. Lac eius tumē-
 tia viscera reprimat. Ex lacte humano lita sacros ignes ad sanitatē perducit. Se-
 men tritum potūmq; scorpionum ictibus medetur. Thoracis etiam vitijs pro-
 dest. Somnū conciliat, sed ijs qui secunda valetudine fruuntur, in cibo sumpta: ijs
 vero qui morbum experiuntur, ignorantibus imposita, ea ratione præsertim, vt
 antelucano sinistra manu radicitus auellatur, clāmque stragulis subijciatur. Succus
 fronti male valentis illitus somnum accersit. Obscuritatem oculi cum sensere
 frequēs in cibo discutit. Eisdem præcipuē dulcis claritatē adfert, sed alter vtrin-
 que modus est. Aluum copiosiores soluunt, modicæ sistunt. Tentātes aquas non
 nocere tradiderunt lactucam edentibus: ebrietatem non sentiri, si quis ieiunus
 eam prægustet: semen potum genituræ profluua cohibere. quapropter aduersus
 crebra veneris ludibria in somno, dari, subditāq; cervicali culcitraēve. Folia
 terna vel quina ægrotantibus somnum allicere, sic vt decerpta imo caule ad pe-
 des, summo ad caput spectēt. P sellus Antiochenus lactucas marulia nominauit,
 eisq; tertiam assignat refrigerantium & humectantiū sedem. Sitim cibo leuant,
 somnos faciunt, aluum modice subigunt. Neq; sanguinem improbum creant,
 neq; vndique perfectum, multo tamen cæteris oleribus præstantiorem. Calidis
 ventribus auxiliantur. Cæterū vsu crebro imbecillitas contrahitur, acies oculo-
 rum retunditur, caligōq; tandē obuersatur. Veneris alacritas emarcescit. Semen
 potu genituræ profusionē cohibet. Ex stillatio rosarū liquore tēporibus admo-
 tum peruigiles ad somnū reducit. Cauendus tamē lactucarū vsus suspiriosus, san-
 guinē excreantibus, pituitosis, & ijs quoq; qui procreandis liberis dant operā. Si-
 quidem, vt fertur, non fœcunditatē modo minuunt, sed quos postmodum sus-
 stulerint filios, velut amentes & inepti à progenitorū ingenio degenerant. Regio 45

morbo laboratibus ex oleo sesamino profunt. Refrigeratricē & humectatē natu-
 rā aquæ fontanæ cōparāt, quā propter ardentibus febribus opitulatur. Adsumētes
 adfirmant, neq; aquarū mutatione tentari, neq; nouarū cōditione infestari: quip-
 pe cum impendentem noxā præsumptæ prorsus arceant. Ipsarum succus longe
 5 plus æquo sumptus perimendi licentiā nāciscitur. Syluestris succus viribus quo-
 que papaueri similis. Carpitur per messes, inciso caule, insolatūsq; conditur in fi-
 ctili nouo, ad multa præclarus. Sanat oculorum vitia cum lacte mulierum. Arcet
 cum eodem nubeculas, cicatrices, adustionēsq; omnes. Caligines itidem & arge-
 mas emendat. Imponitur etiam oculis in lana contra epiphoras. Idem succus cū
 10 aceto mulso potus ad duos obolos aquas aluo detrahit. Serpentiū ictibus medetur
 in vino, & folia tosta thyrūsq; triti ex aceto bibūtur. Vulneri illinuntur, maximè
 cōtra scorpionū ictus, verū contra phalangia cōmixto vino ex aceto. Alijs quoq;
 venenis resistunt, exceptis quæ strangulando necant. Imponuntur & ventri ex
 melle & aceto ad detrahēda vitia alui. Vrinę difficultates succus emēdat. In sum-
 15 ma vis ei somnifica, dolores sopit quos per quietem leuari sit opus, menses euo-
 cat. Semen syluestris insumptum non secus atque satiuæ genituram per ludibria
 somniorum fluentē coercet, atq; venerem inhibet. Eosdem effectus sed inertio-
 res succus repræsentat. Crateuas enim hydropicis obolis duobus in aceto & cya-
 tho vini dari iussit. Porrò syluestrium genus, tametsi multiplex, cōmunia tamen
 20 sponte nascentibus candor caulis, interdū cubitali proceritate ipsius, foliorūmq;
 scabritia, lacteus succus, acris, medicatus. Primū tamen syluestrium est eius quā
 caprinā vocant. huius lac spissatum in aceto pondere obolorum duūm adiecto
 aquæ cyatho, hydropicis datur. Caule & folijs contusis, asperso sale nerui incisi
 sanātur. Eadem trita ex aceto colluta matutinis bis mense dētium dolores pro-
 25 hibet. Alterū in aruis nascitur quod Græci esopon vocant. huius folia trita, & cū
 polenta illita vulneribus medentur. Amarę, lactentīsq;, quam appellant meconi-
 dem, succus oculorū claritati cū muliebri lacte vtilissimus esse præcipitur, dum
 tempestiuè capiti inungitur: oculorum quoque vitijs quæ frigore contracta sunt
 auxiliari: fœminas hoc cibo purgari.

De Gingidio.

Cap. LXX.



30 **G**ingidium suo nomine Syriaco venit in Græciam & Latium.
 Herba syluestri pastinacæ similis, tenuior tantū, densiorq;, radi-
 ce parua, candidate, subamara. Venit in cibos crudū coctūmve
 magna stomachi voluptate. Plinius Syriā in hortis ferere herbā
 35 staphylino simillimā tradit, quam alij vocāt gingidion, tenuius
 tamen & amarius. Me cōmonuit itaque mendi cuiusdam in co-
 dicibus Græcis, qui πυκνότερον, quod est densus scriptitarunt, cum Plinij testimonio
 legendum πικρότερον, id est amarius. Huic etiam suffragātur veteres nonnulli qui
 in herbarum notis viribūsq; tradendis Dioscoridis nituntur testimonio, ama-
 40 riorē agresti pastinaca herbam prædicātes. Sed explodendus eorum error qui
 gingidiū pro fumaria siue capno hætenus acceperunt. In quem cōplures Mau-
 ritaniæ familiæ medicos manifeste lapsos deprehendes ex scriptis quæ literarum
 monumētis prodiderunt. Nam fumaria sponte prouenit in aruis, gingidium in
 hortis studiose colitur. Illa cibus ob eximiam amaritudinem abdicatur, hoc cru-

dum coctumve estur magna stomachi iucunditate. Illa gustum offendit amarore,
 hoc appetentiã simul & cibi fastidium discutit. Sed sunt hæc euidentiora quã
 vt refelli desiderent. Accedendum videtur potius eorum sententiã, qui vertendis
 licet incultè Græcis authoribus, vbique pro gingidio chærefolium interpretatur.
 nam erraticæ pastinacæ, quam daucum aliqui vocant, folium æmulatur, aliquã
 to tenuius, radícula candicante, subamara. Apud omnes manditur & crudum ex
 aceto & iuribus incoctum. Vrinis quoq; ciet. quare decoquitur cum vino præsen
 ti vesicæ iuuamêto. Paulus Aegineta gingidion scandici simile fecit, astringente vi
 & amaritudine nõ pauca præditum, stomacho non ingratur: quare ieiunia inediaq;
 cõmode satiat ex aceto, nõ tamen magnopere nutrit. Galenus, q̄ nõ nihil amaro
 ris & astringentiæ gustui repræsentet, refrigerante vi simul & calfaciente donatũ
 cenfet, & ab vtraq; siccandi naturam sortiri. Adiecit stomacho accõmodatũ esse,
 quòd non parua astrictione præditum sit, calorem tamen non manifestum pro
 fus possidet. Estur vt Aëtio Melino placet, ex aceto, magna stomachi voluptate.
 calfacit non apertè, sed secundã sibi siccãdi classem adsciuit. Iam gingidion æta
 te Galeni Pauliq; tritissimum olus habebatur in vsu, etsi primum Cilicię Syriãq;
 vernaculum fuisse tradatur. Postmodum in omnes orbis ferè tractus cõmigrasse
 quid prohibet? nouõq; in Græciam aduẽtu pristinam appellationem obsoleuisse.
 Iam & quædam stirpes cum locis vocabula mutarunt. Itaq; regiones in quas de
 feruntur noua nouis nominibus donare consueuerũt. quare chærephyllon tandẽ
 à Græcis dici ob id cõceptum est, quòd folijs luxuriet. & tandem graia voce & la
 tina coalescentibus in vnum nomen, chærefolium multis nuncupatur. Nec veri
 simile est vulgatissimũ olus, quo omnes horti scatent, quõq; nulli non quotidie
 crudo vel cocto vescũtur, à veteribus silentio fuisse prætermisum. Apuleius etiã
 chærefolij herbæ meminit, si modo sit eius libellus qui hoc titulo circumfertur,
 tradens chærefolij virides cymas treis legi oportere, & adiecto puleio cum mel
 lis cochleari tritas, induci in stomachum vt leuent dolorem. Chærefolio Plinius
 quidam recentior Galeno, nisi nos inscriptionum fides fefellerit, igneam vim tri
 buit & acrem quæ cãceratis medeatur, lateris dolores ex vino mitiget. Quidam
 illud oleo incoctum acopis ad soluendam frigoris iniuriam miscuerunt. Ex aqua
 mulsa pituitam resoluit. Ex aceto lumbricos & tineas perimit. Vrinam ciet, mē
 strua pellit. Tritum cum cera & axungia vetere parotidas discutit. Chærefoliũ
 in hortis semel satũ pluribus annis restibili fœcunditate reuirescit. Ne tamen vo
 cabulorum vicinitas aliquam pariat cõfusionem, aut cognatio nomenclationum
 similitudine mentis aciem præstringat, est sciendum longe diuersum esse ab hoc
 olere chærephyllon, siue chærefolium Plinio, qui inquit seri æquinoctio autumnũ
 chærefolium quod pæderota Græci vocãt, acerrimum sapore, igneiq; affectus,
 ac saluberrimũ corpori. Quanquam verba hæc postrema de sinapi dicta videri
 possunt, de quo statim idem author mētionem facit. Chærephyllum itaq; Plinio
 acanthi genus est, topiariæ & vrbaniæ herbæ, elato longõq; folio, crepidines mar
 ginum ad surgentiũmq; puluinatorum toros vestientis. Qua de re quantum equi
 dem sentio, sibi chærephylli nomen arrogauit, quòd vsq; eo frõdibus luxuriet,
 vt arearum porcas possit operire. Acanthũ à Romanis dici pæderota Dioscori
 des asserit, quod & Plinius ipse cõfirmat. Lucius Columella præcipit chærephyl
 lum, item olus atriplicis circa Calendas Octobris obrui debere, nõ frigidissimo

loco. Nam si regio sæuas habet hyemes, post Idus Februarias semine differenda sunt, suáq; de sede partienda. Hoc idem iubet Palladius chærefolium locis frigidis post Februarias Idus serendum. Desiderat agrum lætum, humidum, stecoratum. Columella in horto suo breue chærephyllum appellás, videtur huic vulgari nostro passim in hortis nascenti consentire, ita nominatú quòd largo grandique foliatu gaudeat, breui caule contentum, & velut herba paria secum faciente, quæ quod à cauliculo dempserit luxuriosa foliorú vbertate compensat, mediocri tamen proceritate sustollitur. Breue idcirco chærephyllum merito nominauit, nisi forsitan id olus à natalibus primis paulopost explicuisset ijs verbis,

10 Assyrióq; venit quæ semine radix.

quasi Syria in hortis operosissima gingidion sibi vernaculum ad nos transmisset, quod satis Dioscorides & Plinius testatum reliquerunt. Hæc tamen plane nõ ausim asserere, pugnantibus vtrinq; tot authorú sententijs. Item amaritudo maior aliquãto Galeno Paulóque gingidio tribuitur, quàm in chærefolio possit inueniri: nisi longo forsitan transmigratu inuentóq; dulciore solo, bonam partem amaroris exuerit. nam quædam stirpes propter mutationes locorum, à qualitate sua discesserunt ita vt dignosci nõ possint. Prouerbiu Græcis est, multa Syriorú olera. Syria in hortis operosissima simillimã staphylino serit herbã, quam alij gingidion vocát, tenuius tamẽ & amarius, eiusdemq; effectus est. coctú crudúmque magna stomachi vtilitate mãditur. Siccat ex alto omnes humores eius. Plurimú, vt Galenus est author, in Syria nascitur. Mira stomachi voluptate siue crudú siue coctum estur, longæ tamen coctionis impatiens. Aliqui ex oleo & garo mãdunt. Alij vinum aut acetum adiiciunt, quò magis stomachi auiditatem moliantur. Ex aceto fastidiosos ad cibum reuocat, herba medicinæ potius quàm cibo nascens, cum insigni amaritudine & astrictione prædita sit. Dioscoridi venit in cibos crudum, coctum, falsúmve, magna stomachi cõmoditate. Vrinã ciet. Decocto eius per vinum sumpto affectus vesicæ sanantur. Hæc habebam de gingidio quæ dicere, iam ad scandicem noster conuertatur sermo.

¶ Scandix.

Cap. LXXI.

30 **S** Candix in olera syluestri à Græcis ponitur. Galenus simillẽ gingidio fecit scandicem, Paulus gingidiũ scandicis effigie repræsentauit. Eadem erat Plinio anthriscus, si tenuiora folia & odoratiora haberet. Dioscorides syluestre tradit olus esse, amarum, subacre, quod in cibos coctú vel crudum admittitur. Hæc est
35 quam Aristophanes obiicit Euripidi poetę ioculariter, matrem eius ne olus quidem legitimum venditasse, sed scandicem. Notissima olim omnibus Græcis fuit scandix, quæ toties Athenis in teatro risum & plausum excitauit. Hinc Euripidem ludicro sermone quasi scandicopolam incessabant, quòd natus esset matre quæ scandicem subinde venditaret. Vulgare & sua sponte nascens incultis plerunq; locis olus est, plebis cibus & quotidianum pulmẽtum, fo-
40 lijs gingidij vel anthrisci, sed maioribus & minus odoratis, gustu acri subamaroque, nec aliter huius facies ab authoribus designatur. Inter syluestres tamen quædam hac specie visitur, quæ sit chærephylo similis, frutice odorato, floribus candidis, radice parua, quæ tamen capillamentis quibusdam nitatur: caule dodran-

tali vel maiore, exertis in vertice corniculis, quæ acus effigiẽ repræsentent. à quo forsitan habitu Romanis aciculam dici nõ ab re Dioscorides asseruit. Et vt summam dicam, hæc odore daucũ, & reliqua facie cherephyllum imitatur. Sic quoque Galenus, Paulus, & Aëtius gingidio similem fecerunt scandicem, cuius ne à rusticis quidem, vllam appellationem extorquere potuimus. Sed hanc inter dauci genera referunt officinæ, cum tamen magnum interfit discrimen. Hæc corniculatis gingidij modo munitur apicibus, illa rotatiles vmbellas præmõstrat. Hæc nullum vmbatile cacumen obtendit, illa orbiculatos obuersant muscarios. Scandice si remoretur vel hæreat plus æquo, sollicitandam consulit vrinã Paulus. Eadem erat anthriscus, si tenuiora folia & odoratiora haberet. quam peculiari laude Plinius extulit, marcescentes iam senio coitus excitare, & fatigato venere corpori succurrere professus. Addidit, profluuia fœminarum alba hoc olere sisti. Galenus ordine secundo calfacientium, quòd sit subacre & amarulentum, donauit. quapropter ciundis vrinis efficax habetur, obstructorũq; viscerũ infarctus explicat, & intestina expedit. Scãdix in syluestri ponitur olere. Cruda & cocta in cibos admittitur, sed cruda ventrẽ resoluit & stomachum iuuat. Succus decoctæ medetur renibus, vesicæ, iocineri. Semine singultus confestim ex aceto sedat, vrinas cit, illinitur ambustis.

¶ De Caucalide.

Cap. LXXII.



Aucalis repræsentatur à Dioscoride cauliculo dodrantali, interdum altiore, subhirsuto, folijs apij, sed in cacumine fœniculi modo tenuiter scissis, pilosisq; vmbella in summo candida odoratæque. Similis inuenitur in aruis spõte nascens, caule subhirsuto, folijs per ima proximis apio, latioribus multo, summa parte capillatis, & in fœniculi folia propemodum extenuatis, vmbella fabuci, summam opacante, candida odoratæque. rura nostra, quòd ex putri vel euanido semine apij natam arbitrentur, selini degeneris cognomento *persimium* *notum* appellant, quam & pauperes oleris vice condunt in cibos. solent & nonnunquam ex aceto crudam esse. Verum à foliorum effigie quam præfererunt, detortum hoc nomen vulgo verisimilius est. nec puto marcidum aut exuctum vetustate apij seminium in caucalidem degenerare: sed rura quædam, nec ab re, hæc mutationis induerunt opinionem, quòd frequenter vbi satum fuit aliàs apium, lætius prouenire videant, eo forsitan argumento transire in caucalida putat. Sed in glabretis nusquam non, etiam in noualibus antequam aratione renouentur, & in culto solo, spõte naturæ nasci facile deprehenditur. Galenus apud aliquos syluestre daucum tradit nominari, non à similitudine, vt aliqui credunt, quasi rudimentum quoddam esset nascẽtis dauci, sed quod & gustu & viribus id imitetur. cum, vt inquit, modo eodem excalfaciat, exiccet & propellat vrinam. Constat enim imis folijs apium, summis fœniculum, caule & vmbella daucum aut si mauius sambucum æmulari. Idem testatur caucalidem sale condiri ad vsum. Romani, quæ extremum folium in gallinæ pedem conformatur, gallinacẽ pedem, vt inquit Dioscorides appellarunt. Caucalidis huius meminit Nicander in theriacis. Retulit Chrysippus antiquissimus author aliquam falsilaginé resipere: sed si quis linguam consulat, euidenter in sulfam deprehendet. nec ex veteribus quisquam,

quod inuenerim, ita sensit. Caucalis cordi utilis. Succus eius bibitur stomacho perquam commodatus, & vrinæ calculisq; & arenis pellendis, & vesicæ pruriti-
 bus. Extenuat lienis, iocineris, renūmq; pituitas. Semen menses fœminarum ad-
 iuuat, bilem à partu siccat. Datur & contra profluvia genituræ viris. Chrysippus
 5 conceptionibus putat eam conferre multum. Bibitur in vino ieiunis. Illinitur &
 cōtra venena marinorum. Oleris vice in cibū recipitur. Solent crudam esse. Vri-
 næ vsus adiuuat. Renum vitia cibo, vt Paxamus tradit, emendat. Decoctum hu-
 ius ex passo, per horam antequam in balinea descendatur, regiū morbum sudo-
 re digerit. Ex aceto mulso mansa & vomitione reddita ventrem purgat, appe-
 10 tentiam inuitat, & fastidia discutit. Melancholiæ & quartanis febribus idem me-
 deri promittit.

Eruca.

Cap. LXXIII.



Ruca stimulantæ veneri nata videtur, quod Martialis hoc ver-
 su demonstrat,

Et venerem reuocans eruca morantem.

Quare Columella in hortulo Priapo serendam pronūciauit ijs
 fenariolis,

Et quæ frugifero seritur vicina Priapo,

Excitet vt veneri tardos eruca maritos.

20 Nec ab re in eodem salacem quasi libidinosam nominauit,

Iámque eruca salax fœcundo prouenit horto.

Ouidius eruca præcipit abstinentum ijs qui ab amore desciscere cupiunt,

Nec minus erucas iubeo vitare salaces.

Facillime æstare vel hyeme nascitur. Sesquipedali thyrso consurgit in hortis, fo-
 25 liolongo angustoque, in profundas sed rariores crenas laciniato, gustu præter-
 modum acri, floribus candidis, rapitio semine, vel sinapino, firmo. Hanc vulgus
 nostrum *roquetam* appellat. Hæc acremeto maiore placet. Hallucinatur qui syl-
 uestrem putant erucam esse in ruderibus, circum vrbes, domicilia nascentē her-
 bam, folio syluestris erucæ, caule modo vitilium obsequioso, & in lorum flexili,
 30 floribus luteis, siliquis in cacumine gracilibus, vt fœno græco corniculatis, in qui-
 bus semina continentur parua, nasturtij specie, gustu ardenti, cum vt paulopost
 patebit erysimon sit, Romanis dictum irio. His itaq; foliorum similitudo turpi-
 ter imposuit, cū omnia hæc de erysimo tradantur. In condiendis obsonijs tan-
 ta est erucæ suauitas, vt Græci euzomon, quasi iuribus gratam vocauerint. cu-
 35 ius vt narrant semen ex vino potum morsibus muris aranei medetur. Tineas &
 bestiolas interaneis innascētes arcet, lienem extenuat. Cicatrices nigras cum fel-
 le bubulo mistum reducit ad candorē. Vitia cutis in facie cum melle litum emē-
 dat. Lentigines emaculat. Addunt, verbera subituris potū ex vino duritiam quā-
 dam cōtra sensum inducere: graue virus alarum discutere. Putant subtrita eru-
 40 ca si foueantur oculi claritatem restitui, tussim infantium sedari: tria folia sylue-
 stris erucæ sinistra manu decerpta regio morbo mederi. Eruca frigorū contem-
 ptrix diuersæ est quàm lactuca naturæ. cōcitatrix veneris, idcirco iungitur illi fe-
 re in cibis, vt nimio frigori par feruor immistus temperamētum æquet. Cruda
 hæc Dioscoridi largius sumpta venerem stimulat. Vrinæ cit, prodest cōcoctio.

ni, emollit aluum. Vtuntur semine condiendis obsonijs, quod vti diutius seruetur, subactum aceto vel lacte & in pastillos digestum recondunt. Nascitur & syluestris eruca Hispaniæ familiaris, cuius seminio regionis huius homines sinapis vice vescuntur. Hæc ad pellendam vrinam efficacior quàm fatiua creditur, & acrementi maioris. Galenus erucam calfactoria vi pollere censet. ideo nõ nisi iunctis lactucæ folijs estur, vt immodico calori additus algor excessum tēperet. Libidinem concitat, adauget genituram. Cæterum per se sumpta capitis dolorem ciet, calfacit, & humectat in altero abscessu.

Ocimum.

Cap. LXXIII.



Cimo nihil fecundius. Satio eius optima est post Idus Maias vsque in solstitium, nam teporem desiderat. Cuius cum semen obrutum est, diligenter inculcatur pauicula vel cylindro. nam si terram suspensam relinquant, plerunque corrumpitur. Quidam & autumnò feri ferunt, iubentq; cum hyeme seratur, aceto semen superfundit. nam citius nasci dicitur, si aceti imbreniter aspergatur infusum. In horto satorum celerrimè prouenit ocimum, satumq; maturius putant erumpere inter initia feruenti aqua cōpersum. Facile se necat, degeneratq; rite in serpillum. Ocimo tantum meridiana datur aqua, cum cæteris oleribus horæ rigandi matutina atq; vespera, ne inferuescat aqua sole. Præcidunt & hoc cum peruenit ad palmi altitudinē. Ferro tamen non expedire tangi author est Sabinus Tyro in libro cepuricon, quæ Mecænati dicauit. Sub Canis ortu quasi morbum sentiens expallescit. Ocimum pedali altitudine prosilit, surculosum, ramulis teretibus, folio muralis herbæ, vel mercurialis, aliquanto minore, diluti viroris. Floret particulatim, primo parte inferiore, demum superiore, flosculo cædido, semine vesco pulloque, cui cortex obducitur. Radix vna descendit in altitudinē, crassa & admodum lignosa, cæteræ à lateribus funduntur exiles ac prolixæ. Mirum quod Theophrastus prodiderit, nempe lætius prouenire si cum maledictis ac probis seratur. quod & Plinius adfirmat, vt fortasse Persius hoc senariolo huc alluserit,
 Cum bene discincto cantauerit ocyma vernæ.
 Tradit hoc Plutarchus non minore prodigio dignum, quod succinum leuissima quæque & quisquillas omnes mouet & allicit, solos ocymi surculos abigit à sese. Gargilius Martialis rem notatu dignam adfirmat, quod modo purpureos, modo albos, modo roseos flores pariat: si ex eo semine frequenter seratur, quod simul atque solo creditum est, aqua calida perfuderis, modo in serpillum modo in sisymbrium abire solitum. Theophrastus author est, si sole cōtinenter illustretur ocimum, transire in serpillum, quod insolationis causa vehementius exiccetur, & vt folijs decrescit, ita flagrantius odore redditur inopia alimenti. Recentiores Græci qui de re herbaria scripserunt, basilicon, id est regiū appellant, quod nomen apud omnes ferè iam usurpatum video. Ocimum Diophanes grauiter repudiavit vt inutile cibis. Addit præterea insaniam facere & lethargicos, & iocineris vitia: cōmanducatum, & in sole positum scorpiones creare: noxam eius satis capras testari, quæ cum cæteris omnibus pabulis auidè vescantur, hoc vno cognoscuntur abstinere. Subdit, maximè foeminis aduersari, tantaque cum eo discordia pugnare, vt si pultario sit subiectum in scia muliere, futurum sit, vt nunquam cibo manus admoliatur,

priusquam subductū sit, hinc misodulon, à cæco illo odio vocari creditur, quod
 alij innuisse Persium volunt inquietem,
 Dum ne deterius sapiat pannucia Baucis,
 Cum bene discincto cantauerit ocima vernæ, id est
 5 cantando exclusit. Sed parum veteribus cōuenit, vtile ne sit an noxium cibus.
 Chrysippus grauer increpidat, nocere stomacho & oculorum claritati professus,
 præterea insaniam parere. Addit, capras id aspernari, ideóq; hominibus fugien-
 dum censet. Adijciunt quidam, tritum si operiatur lapide scorpionem gignere:
 commanducatum & in sole positum, vermes adferre. Accedit, quod sibi Aphri
 10 persuasere, si quispiam eo die feriat à scorpione quo ederit ocimum, sanari nō
 posse. Quinetiam tradunt, ad manipulum huius cum cancris decem marinis vel
 fluuiatilibus tritum, conuenire scorpiones à proximo omnes. Diodorus pedicu-
 los creare ocymi cibum fatetur. Galenus etiam Paulúsque ob humorem excre-
 mentitium internis partibus vt officientem cibus abdicarūt, externis tamen pro-
 15 ficere non inficiantur. Qui in contraria sunt opinione Plinius, Dioscorides Pe-
 danius, Philisto hæc vt commentitia rident, asseuerantes & stomacho prodesse, q̄
 inflationes eius discutiat ex aceto sumptum, & insanos odoratu recreare, capras
 id esitare. Oculorū epiphoras abigere cū vino, vrinas ciere, aluum sistere, cœlia-
 cis mederi. Libyes addiderūt, ictos à scorpione qui ederint eo die incolumes eua-
 20 dere: tam terrestribus quàm marinis scorpionibus aduersari. Nec desunt, qui vt
 inter hos controuersos authores componant, principésque factionis huius Ga-
 lenum, Paulum, Chrysippum, Diodorum, ijs qui alteri familiæ sunt addicti recō-
 cilient, & ab eis, simul vt hos cum illis in gratiam reuocent, duo comminiscuntur
 ocymi genera, vnum basilici cognomento, alterum garyophyllati. quod disci-
 25 men nusquam apud classicum authorem legitur. De eodem ocymo nō diuersis
 generibus pugnare certum est. Galenus modo quodam inter hos medius inces-
 sit, commendans exteriorum vsum ijs præsertim valetudinibus quæ concoctio-
 nem discussionemq; desiderant. Damnauit tamen internū, ob recrementitium
 humorem, quo grauat & lædit interanea. Sed, vt arbitror, duntaxat esu eius im-
 30 modico nobis interdixit. nam si quis perinde atq; cæteris oleribus affatim vtere-
 tur, intestina tandem sentiret incommoda. Si vero parcius, perinde quasi medica-
 mentum, sumat, profuturum idem non inficiaretur. Mediocriter itaq; datum au-
 xilio esse potest ad ea quæ diximus. Esus copiosior declināndus. Nec aliàs inter au-
 thores hos posse puto constare. nā quòd vermes creet & pediculos gignat, id ac-
 35 ceptum ferendum est excrementitio humori, quo imbuitur. Qui male cōcoctus,
 calore natiuo herbæ, quasi superuacuum, citam noscit putrilaginem, facile in pe-
 diculos & vermes abeuntem, quos hac labe gigni cōspicuum est: nec aliam inire
 rationem prōpte possumus. Hæc itaq; forsitan pluribus dicta sunt quàm res ipsa
 postularet, minus tamen multis quàm exigebat in varios sensus detorta docto-
 40 rum opinio. Ocimi natura est Dioscoridi vëstem emollire, flatus dissoluere, vri-
 nam ciere, mulieribus prouentū lactis adferre, humano ventri peragi contumax.
 Illitum cum polenta rosaceo & aceto inflammationibus pulmonū salutare cre-
 ditur. Draconis marini plagis, & scorpionum imponitur: oculorum quoque do-
 loribus cum vino Chio. Succus caligines illitus & eorundem fluxiones exiccat.
 45 Semen contra bilem atram & difficiles quoq; vrinas bibitur, discutit inflationes.

Tritum & haustum naribus continentia mouet sternutamenta, idémq; facit herba. Cæterum conuiuere oportet instante sternutatu. Ocymum damnauere cibis, quoniam cõmanducatum, & in sole positum vermes gignat. Libyes asseuerant, si quispiam eo die quo ederit ocimum feriatur à scorpione lædi non posse. Ocymo plerosq; in obsonijs vti ex oleo & garo Galenus tradit, stomacho aduersari, concoctu pertinax, olusculum prauo præditũ succo. Addidit, cõmentitium esse si fictili nouo tritum operiatur, breui præsertim insolatum, scorpionem gignere, sed hoc tantum abest à vero vt nihil magis ei repugnet. P sellus basilicum appellauit, quod mediocrem, vt ait, possidet calorem, capiti cordique odoratu salutare. Aqua maceratum ascito humore somnum allicit, hos recreat quos cor defecerit. Mœrores quos atra bilis attulerit mulcet, animi nubila discutit, tristes exhilarat, atq; timidus animat. Aliqui cœliacis & sanguinẽ excreantibus in vino dederunt. Contra duritiam præcordiorum mammis illinunt. Auribus infantium cum adipe anserino instillant. Semine sternutamentũ eliciunt, vuluas ex aceto purgant, destillationes eo cohibent. Verrucas misto atramento sutorio tollunt, venerem stimulant, ideóque & equis asinĩsq; admissuræ tempore ingeritur. Syluestri ocymo vis efficacior, Ad eadem omnia peculiaris, ad vitia quæ vomitionibus crebris contrahuntur, vomiciſque vuluæ. Contráq; bestiarum morsus radix in vino est efficacissima.

¶ *Orobanche.*

Cap. LXXV.



Orobanche cauliculus sesquipedalis aut pusillo excelsior, subrubens, sine folijs, hirsutulus, pinguis, tener, flore subalbido in luteũ vergente. Radix illi subest digiti crassitudine, quæ dum ariditate flaccescit, scapus dehiscens in rimas dissilit. Legumina inter quæ nascitur strangulat, vnde & nomen inuenit. Estur oleris vice. Placet tũ cruda tum patinis decocta sicut asparagi. hac specie per æstatem inter segetes & legumina identidem offenditur. A recenti Græcia osprioleon, quasi legumẽ leoninum, aut leonteos botane, quod est herba leonina dicitur. Nec mihi succurrit idoneũ nomen, quo vulgus rurãve passim vtantur, nisi quòd in Parisiensi agro *teniam* supra diximus appellari. Quippe cũ vniuersæ regiones, regionũmq; penè singulæ partes, vernaculas herbas consuetudine sua nominant. In Gallia quoque ipsa, ne dicam in tam diffuso terrarum orbe, nationes etiam nominibus herbarũ discrepant, variantque vocabula. quare commodius longe fuerit, gentilitiæ nomenclationis aucupio, quo potiri nequeamus, studiosos non demorari. Nemo nec numerum nec appellationes cum certa fide potest recensere, neque enim vt ait Poeta,

- ” Numero comprehendere refert,
 ” Quem si scire velit, Libyci velit æquoris idem
 ” Discere quàm multæ Zephyro versentur arenæ.

Orobãche estur cum olere, placetq; tum cruda tum in patinis cocta, sicut asparagus. Addita leguminibus dum coquitur, facit ea facilius percoqui. Refrigerat & arefacit in abscessu primo. De orobanche supra inter vitia frugum abunde dictum est.

Hirci barbula.

Cap. LXXVI.



Hirci barbula, quæ Græcis tragopogon appellatur, hac facie representatur à Theophrasto, Radix longa, dulcis, folium croci, longius, caule paruo, super quæ calyx latus & barbula, quæ summo vertice incana & proluxa funditur, vnde nomen accepit. Describitur à Dioscoride caule breui, folijs croco similibus, radice oblonga, dulci, supina, magno supra scapum calyce, è cuius summo nigrum semen pendet, inde nomen mutuatur. Herba edendo est. Nascitur in aruis sua sponte. Crescit & altilis etiam in hortis, pastinato altiùsque subacto solo, folio latiusculo, flore purpureo, calyce grandi, barbulis pensilibus, incanisque, in auras tandem euanescentibus. radices in altum agit, quæ hybernis diebus acetaria dulcedine sua commendant. Vtraq; cum carpitur manat lacte, sed quæ nascitur in asperis magna ex parte luteo flore nitet: altilis sæpius purpureo apicibus multis, aureo colore sparsim emicantibus. A plurimis nunc Romana consuetudine dicitur petræ herba, quòd asperis locis quasi è medijs faxis videatur erumpere. A quo etiam Hetruria faxificam peculiariter appellat, Gerontopogon eadem esse creditur permultis, sic dicta, quòd nascatur promissa barba, folijs longis instar capillorum, de qua priuatim diximus. Non sunt hic audiendi seplasiarij institores, qui pro barbula hirci quandam demonstrant, emendicato alterius herbæ vocabulo, prælonga folia ferentem, hirsuta, anchusæ proxima, minora tantum, spinulis tenuibus horridula, sentibùsque densis obsessa, cauliculos exiles, numerosos, minutaque vtroque latere folia, in versus digesta, summa scapi parte minuscula, flores purpureos. Nanque illa caulis & folij læuigata glabritate placet, hæc mordaci lanugine tangentem vellicat. Illius folium instar croci gracilescit, huius satis ampla latitudine protenduntur. Item huius vertex imberbis est, nisi flores in aceruum congestos barbam placeat appellare, alterius à calyce promissa pendet barbula. Hæ notæ magis ad echion herbam spectant, de qua suo loco dicemus. Præclarè ergo cum literis ageretur, si recentiores herbarij, qui nugis anilibus iusta volumina referciunt, à veterum placitis & antiquis herbarum finitionibus in quædam posterorum commenta non defecissent. Herba ex ijs quibus in cibos vtitur, come ab alijs dicta, folijs croco simillimis nasci in asperis, sine vsu Plinius tradit, alioqui coquitur in pulte.

Ornithogalon.

Cap. LXXVII.



Ornithogalon herbula est caule tenero, sesquipedali, tribus aut quatuor sursum mollibus agnatis, vnde flores exeunt foris herbacei, sed interius candicantes lacte, in quorù medio capitulù cachryos modo dissectù emicat, pistrinis commédatum ad panes cereali sapore condiendos. radice bulbosa, cuius crudæ & coctæ in cibis est vsus. Nullum vnq; offendere potuimus herbariù, qui nobis hanc demonstraret, incognita ferè nunc omnibus etiam doctis, cum tamen plerisq; tractibus ornithogalo frumentarij agri scateant. A rusticis passim eruitur rotunda radice, bulbacea speciè præferente, è cuius medio cauliculus exit, tribus aut quatuor adnatis appendicibus in cacumine, folijs in capillamenta quædam ex-

tenuatis, floribus exiguis, foris herbaceis, intus lacteo colore candicantibus, qui simul coaceruati velut paniculæ quædam cōpactili callo squamatim cohærentes in pilulam extuberant, nucamentum pineæ nucis repræsentantem. Noster Suefionēsis ager *churlos* vocare cōsuevit, pueris non incognitos, qui propter astantes cum aratro terra proscinditur, aut in latiores porcas sulcatur, erutos vomere colligunt, multo castaneis suauiores in cibis, quibus & crudis & in cineribus incoctis rura vescantur, odore iucundissimo os mirum in modum cōmendante, nam tuberibus similes fere noscuntur. quare tanquam germanitate, vel quadam cognatione iunctos, Dioscorides his copulauit. Radix in orbem ferè collecta est, cortice pullo, cādidiſſima intus carne pulpæve perquam odorata, vere vel æstate cum fronde virent: hyeme vel autumno cum exarantur agri, radicitus velluntur. Diu seruari possunt, & vbi annonæ premit inopia, plebis rusticæ famem & ieiunia castanearū more satiāt. Nec aliud humo genitū promptius in cibos cedit, cum frugum penuria gliscit. Mirè suis expetuntur, qui rostro scrobiculos excauant & horum capti dulcedine, gregatim ad hos eliciendos, radicitusque vellendos aduolāt. Rura ex agris sponte natum gratiorē cibum non norunt. Lautiores etiam mensas diuitum ornithogalon non reformidat. Ornithogalon commendatur vt gith pistrinis, ad panes cereali sapore condiendos, radice bulbosa, cuius crudæ in cibis & coctæ est vsus.

¶ *Tubera.*

Cap. LXXVIII.



Tubera Gallis *truffa* dicuntur, in quo nomine Latini vocabuli resplucent vestigia, dissiliente è suo verticulo litera r, & ascitis inuiscem aliarum duabus. Tellus, vt Theophrastus est author, in se tubera parit, quæ geranea nomināt aliqui. Quod circa Cyrenen nascitur mison nomine, perquam suaue, carnis odorem emulatur. Quod in Thracia peruenit, iston cognomināt. Carent, vt idem inquit, medulla, vena, cortice, solo vndiq; circūdata, nullis fibris, nullisq; capillamentis nixa, nec extuberante loco in quo gignuntur aut rimā agente, nec ipsa terræ cohæret, nec terram esse plane dicere possumus, neq; aliud q̄ terræ callum, cortice etiā includuntur. Constat itaq; terræ saginā in id malū conglobari, quod eo deprehenditur argumēto, q̄ sæpe suo callo ferrū calculos aliā mve materiam implicuerūt, quæ duritia mandentiū dentes subinde laceſſat. Simile quiddā tradit Plinius, Lartio Licinio prætorio viro mordenti tuber accidisse, vt deprehensus inde denarius primos dentes inflecteret. Siccis ferè & sabulosis frutetosisq; locis nascuntur. Excedunt sæpe magnitudinē mali cotonei. Duo eorum genera, arenosa dentibus inimica, altera sincera, quæ nullo alienæ rei permistu mera prorsus occalluerunt. Findunt frequenter solum, quod inquit Martialis,

” Rumpimus altricem tenero de vertice terram,

” Tubera boletis poma secunda sumus.

Tenerrima verno tēpore promuntur, nec vltra annum durant. Athenæus existimat annicula dūtaxat esse, nunquā ad bimatum prorogari: autumno cum imbres & tonitrua successerūt gigni, vere iam vegeta ad vsū produci. Cæterū non desunt, qui sementica iudicent origine nasci. Negāt, in Mitylenæorum litore prius inueniri, q̄ imbrium impetu primigenia ab Tiaris seminia deferātur, qui passim

ager scatet tuberibus. Quinetiam addunt, in litoribus & sabuletis plurima pro-
nasci. Hæc habent quæ de tuberū origine causentur. In Hellesponto ne vlla qui-
dem prouenire compertum est. De tuberibus hæc traduntur peculiariter. Cum
fuerint imbres autumnales ac tonitrua crebra, tunc nasci, & maximè è tonitru-
5 bus, quod Aquinas poeta confirmans inquit,

Et facient lautas optata tonitrua cœnas.

Cuius causam Symposiacorū quarto Plutarchus peruestigat. Quamquam com-
plures asseuerāt, tonitru perinde quasi insolatione, vel aëris impulsu terram hia-
re, sic rimis solo fatifcente conijciebant, qua parte tubera latitarēt. Quapropter
10 tonitru gigni tubera, non ostendi vulgus opinatur. non secus quàm si quos exi-
stimet imbres cochleas creare, potius quàm illectas humore ex macerijis & sepi-
bus in lucem euocari. Agemachus historia fultus, miraculum censebat, quod ta-
men credendi fidem nō derogaret. Siquidē permulta tonitrus & fulminis prodi-
gia, quæ cæcas habent causas, & cognitu difficiles, vel quorū nemo prorsus ratio
15 nē potest inire. Etenim is in risum effusus, subdidit, Bulbus non exilitate sua ful-
men respuit, sed occursante discordantium virium miraculo, veluti ficus arbor
fulmine non icitur: nec vnquam vituli marini vel hyænæ tergora fulguris incen-
dio flagrāt, quibus extrema velorum ideo gubernatores navis inuestiunt, ne ful-
men experiantur. Pluuias coruscante fulgetro demissas, frugum altrices agrico-
20 læ prædicant, & stultum prorsus ducunt, quenquam harum rerum admiratione
teneri, præsertim videntes in his affectionibus aquam rem mollem aspero crepi-
tu sparsim ignem eiaculari, id quod omnium calculis, ab omni abhorret persua-
sione. Sed Plutarchus ex intimo philosophiæ penu causas repetens, cum Age-
machus ei dextrā dedisset, inquit, Irrūpentes vi tonitrus aquas feraces esse fœcū-
25 dāsque nihil in præsentiarū adduci potest eidentius, cuius causam ignis permisti-
oni refert acceptā. Quippe purus ignis ac pernix ruit, in fulgetrū illucēs, sæuiūt
procellæ, inibi que ventus obuersans frigus domat, & humorē exhaurit, ita vt ger-
minantibus suauitatem quandam adferat, qua maturius crassescant: quandoqui-
dem & temperaturarum proprietatem & succorum differentiā emergētibus sa-
30 tis talia cōciliant, non aliter quā rores dulcius pabulū pecori sumministrāt. Arquis
etiā aquarius arbores, in quas procūbens deflectitur, mira replet odoris suauitate,
dulci halitu cælitus inspirato, multoque veri similius, cælestibus aquis, tonitru, ful-
getro, calore, & vëtorū impetu, penitus in terrę viscera cōpulsis humū in se colli-
gi, & globosas quasdam collectiones abscessūque fungosos excitare, quēadmodū in
35 corporibus calor & sanguis sæpe strumosa glādulosaque tubercula creāt. Itaque tu-
bera nō sine calore neque sine aqua gignūtur, sed à terra patiēte permutatāque, cor-
porū concremēta capessunt. Humus itaque fermēto imbris cælestis imbuta globa-
tur, & calor adminiculo feruēs in hæc tubera coalescit. Diphilus tubera scripsit
esse concoctu cōtumacia, sed vtilem parere succū: aluum læuigare, & ventris re-
40 crementa ciere. Subdidit, inueniri nōnulla quæ fungorū modo strangulatus ex-
citēt. Herbam quæ super tubera crescit, qua reperta præsertim subesse cogno-
scuntur, hydnohylla Páphilus vocauit. Sed deijs hæctenus. Tuber radix est glo-
bosa, sine folijs, sine caule. foditur vere, cruda & cocta vescuntur. Distinguuntur
colore rufo nigrōque, & intus candido. Laudatissima quæ Africæ crescunt. Tiaris
45 plurima proueniunt, vbi negāt nasci nisi exundatione fluminum delato semine,

Certum est ea feri non posse. Viuunt in terra, putrescendiq; ratio communis est ijs cum ligno. Asię nobilissima circa Lampfacū, Græciæ verò circa Elin. Galenus bulborum nationi tubera reddit: cæterum nullo euidenti sapore placēt, ad excipiendam tamen condimentorum gratiam non respuenda, ceu quæ sunt aquoso gustu prædita, quæ fatuum & moroso indignū palato ministrent cibum, ex tuberibus, crassiorē: ex cucurbitis, liquidiorē tenuiorēq;, vtrunq; frigidiusculū.

¶ *Smilax hortensis.*

Cap. LXXIX.



Milax hortensiana, cuius fructū lobia, quasi siliquulas appellant, folio viret hederaceo, molliore dūtaxat, gracili caule, flexu clauicularū vicinos frutices implicante. Adolefcit in tantum, vt rami scenas & tentoria velut opere topiario quodam opacēt. Siliqua fœni græci lōgiore & torosa, in qua semina cōtinētur renūculis similia, nec vno colore, sed ex parte subrufa. Paratur igni folliculus cum semine cibus. Aëtius vnā cum recentioribus faseolum à Dioscoride hoc loco repræsentari scripsit, vtiq; non candidū, de quo supra mentionē fecit, sed rubentē, qui & lobos & dolichos dicatur, & latine siliquæ lobia nominantur vt idem ait, q̄ soli ferè leguminum cum thecis suis manduntur patinis fricti. Scandunt hi pedamēto cui accubent prælongo propter eos adfixo. ita enim reddi putant frugi. Contrahūt eruginē nisi palo ridicāue fulciātur. Qui sectis Arabū sunt addicti, cū Dioscoridē citant in testē, pro smilace hortēsi phasiolos vsurparūt. Nec desunt, qui lobos siue dolichos dictos à recētioribus, existimēt pisos. Ceterū Theophrastus, & ante Theophrastū Hippocrates, pisum à dolicho manifestē separauerūt. De phasiolis nusq̄ meminit, nisi quis ab eo significatos dolichorū appellatione censeat, vt Aëtio placere video. Paulus pisos & phasiolos à lobis manifeste seiūxit. Nō itaq; sunt cādidi & triuiales illi phasioli, sed rubētes ex smilace hortensiana. Paulus in cōpositione quadā aduersus renū vitia, quę ὄξυς καὶ ἄσπις nominatur, phasiolos requirit albos, quasi sint etiā non albi. Idem phaselos & qui dolichi nominātur, si virides cū suis valuulis comeduntur, alui recremēta ciere tradit. Hippocrates in libro quē de ratione victus ædedit, pisos flatus creare scribit, sed phasiolos quos nominat dolichos, magis aluū ducere, & pauciores excitare spiritus. Subscribimus itaq; eorū iudicio, qui nō vulgares illos, sed rubētes phaseolos smilacē hortensianā esse cōtendunt, cū sint folijs hederæ, mollioribus atq; venosis, cauliculis tenuibus, sequaci clauicularum reptatu propinquos frutices implicante, ramis fornices & cameras hortorū vestientibus, & vmbra leui attegias eorūdem opacātibus, siliquis teretibus, & fœno græco lōgioribus, semine intus versificolore: quorū valuulas cū ipsis granis asparagorū more mandimus, ancipiti edulio, inter bonū malūmq; succū ambigēte. PISO multa sunt cōmunia, nā lōga proserpūt flagella. quæ si prope nacta sint ridicas, suis capreolis cōplectuntur. sed ijs folliculus ferè tenuis ac ferè mēbranaceus, illi torosior terēsque. Seminū etiā discrimē. nā smilacis vario colore visuntur, pisorū semina simplici nitēt colore, vtraq; tamen renūculis similia. Folia quoq; pisi aliquātū videntur reclamare. Sed pisum & Græci & Latini vocāt legumē, quo nullū in Gallia hoc nomine à faba nobilius, caulibus fistulosis, in terrā sparsis, ramosisq;, prætenui surculo, folio frequēti, præter ceterorū morē longiusculo, siliqua cylindræa, granis rotūdis, candidis, flore

papilionis forma, circa vmbilicū purpureo, radice imbecilla. Pifo caduca est natura, nisi ramices inueniat quibus fulciatur per terrā irrepit. sed solent sectos frutices interserere quibus incumbat, alioqui facile sentit eruginē. Mirū est Dioscoridē nihil, quod extet, de pisis pronūciasse. Paratur igni folliculus cibo cū semine tanq̄ asparagus. Vrinā pellit, in somniosos facit. De ea supra nobis nonnihil dictum est.

¶ Medica.

Cap. LXXX.

HX ijs quæ placēt eximia herba est medica, q̄ cum feritur decem annis durat, q̄ per annū deinde quater recte, interdum sexies demetitur, q̄ agrum stercoreat, q̄ omne emaciatū armentum ex ea pinguescit, q̄ ægrotāti pecori remediū est: sed cum tenera profuerit, inter initia dum consuescāt parcius, ne nouitas pabuli noceat. inflat enim & multū creat sanguinem. Multis enim regionibus medica natu satis morosa, alijs cumulatim emergit. Sed tāta dos eius, vt vno fatu cōpluribus annis perennet. Solum efflagitat elapidatum. Subigitur autūno, mox aratū & occatū fimo satiatur. nam poscit succosum locū. Aprili aut tardius mēse Maio feritur, alioqui pruinis opportuna. Iacta semina statim ligneis rastris obruātur, nam celerrimē adurūtur à sole. Cū cœperit fruticare, omnes alterius generis herbæ eruncētur, sic culta sexies demeti poterit. Recēs edita trifolio pratēsi similis: crescēti folia cōtrahuntur, cauliculos trifolio proximos emittit, in quibus semen lenticulæ magnitudine pendet, inflexū in cornicula. Sexies vt tradūt floret, cum minimū quater modo nō secetur. Flos in purpureū colorē spectat. Arescit surculosa, postremo in puluerē inutilem extenuatur. Hac herba pleriq; tractus Galliæ virēt, quā vernacula consuetudine *grande treflon*, quasi trifoliū vocāt. Alij q̄ allatū à Burgūdionibus semen auorū nostrū memoria, *Burgundiense fœnum* agricolæ nomināt. Rura quædam etiā apud nos *fœnaciā* sermone patrio dicunt. Ruris disciplinæ prudētes medicam iactato semine serūt, adiecta nostratis auenæ portiūcula: eam siquidē radiculis fundamēta iacere putant, quibus cōprehendēs firmiter nitatur. Sed & pleraq; prata scatēt apud nos medica, quæ vel naturæ spōte, vel cæli cōditione nata est: nisi quædā olim illic satē reliquiarū vestigia restēt, quæ herbofo, vt i solet, cespite victa descuiuit in pratū, & restibili fertilitate sua sæpius in multos annos caduco semine regerminauit. nanq; cum altitudine fuerit vnciali, omnibus herbis liberanda est, & manu sæpius q̄ sarculo, alioqui deficit in prata. Sed quid spōte sua medicā nasci prohibet? nisi forsità peregrina nobis & externo orbe petita sationē desideret. A fœnificibus secatur melius, cū incipit florere. nā in semē maturescere prohibendū est, siccatāq; digeritur in magnos fasces, qui ad trimatū seruātur, magno rei pecuariæ cōpēdio. Nanq; veterina ijs optimē pascuntur, cōq; pabulo villici pecora sagināt. nec vllō magis letātur cibo, pinguescuntq; iumēta. Ad maciē equorū, vt Columella prodidit, nulla res tantū quantū medica potest. Ea viridis nūc tardē tamē arida, fœni vice saginat iumēta: verū modice dāda est, ne nimio sanguine strāgulef pecus. Sed mirari subit quomodo res iā Gallie tritialis, tandiu Italis incognita latuerit, & iā pridē familiaris euauerit. quā Marcellus renouādæ vetustatis, vt asserit, studio suo, dū in lucē reuocare & disciplinæ ruris restituere conatur, magis eius obliterauit cognitionē. Nā cū non aliūde q̄ ex Hispania quid esset nosse potuisset, cauliculos integros huic respōdere satis deprē-

diffet, semen inuenit exiguū, teres, colore flauescēte, sed papaueris seminio vel panici minus. Quare mendū in Dioscoride suspicatur. Sed res exiguit, vt ré aliquāto verbosius prosequamur. Medica quæ passim apud nos seritur, similis est caule foliisq; trifolio, in scenifecis & pabularibus proueniēti, geniculata, quicquid assurgit in caule, cōtrahitur in folia. In scaporū cacumine breues siliquulæ prodeūt in corniculorum speciem intortæ, dēticolato foris inflexu, & velut exiguos mucrones exerente, in quibus singulare semen, ferè lunatū continetur, lentis magnitudine, folliculo coherēs. quod dentibus fressum, pisi saporē repræsentat, ori nō ingratū. singulæ thecæ singulorū seminum sunt capaces, quapropter forsitan condimentario sali permiscebatur. Itaq; quis facile deprehēderit nō nihil de medica à librarijs omissum, & ab eisdem luxatā Dioscoridis lectionē, quæ sic ex herbæ cōspectu potest in sedem restitui, Medica colliculos trifolio similes profert, & siliquulas vt cornicula inflexas, in quibus semen lēticolæ magnitudine cohæsit: nisi quis seminis appellatione putet venire, q̄ siliquula tanq̄ cortice & seminio constat, qua notione fructū frequenter nō semē accipit, cui tūc nihil esset adiiciendū. Verum hoc genere loquēdi non solet vti Dioscorides, nec hærere semina caulibus vsquā, quod equidē sciam, notauit. Melius ergo vbi Græcis exēplaribus scriptū est *ἡ φ' οἷς* id est in quibus, legendū *καὶ λόφος*, id est siliquas, in quod vitium facile librarij quosdam scripturarū confinio lapsi sunt, *ἡ φ' οἷς* pro *λόφος* scribentes. Vereor etiam, ne Marcellus cytisum pro medica viderit, cui principatus datur in pabulis. nam hac ferè facie, quam explicat, repræsentatur, & Hispanijs etiā frequens, vt suo loco differemus. Sed de medica satis sit dictū. Medicæ semen siccatur, & suauitatis gratia in condimētarios sales adiicitur. Iis quæ refrigerari vsus, viride illinitur. Pecorum magistri vtuntur herba tota in pabulum pro gramine, ad quorum maciem nulla res tantum quantum medica potest. Ea herba viridis nec tarde tamen arida, sceni vice saginat iumēta. Verum modice danda, ne nimio sanguine stranguletur pecus. Fieri oleum ex ea tradunt ad neruorum tremores efficax.

¶ *Aphace.*

Cap. LXXXI.



Phace nascitur in aruis, tenuia admodū folia habet, pusillo altior lenticula est, maiores siliquas ferens, in quibus terna aut quaterna semina sunt, nigriora & minora lenticula Hæc Plinij Dioscoridisq; pictura huic videtur respondere, quam rura nostra vocant *agrestem viciā*, cum simili omnino habitu in aruis conspiciatur. florem eius rusticis intorquent coronis, quoniā perpulcher, citra tamen odoris suauitatē, emicet. Nec desunt è recentioribus, qui viciā esse censeant notissimā omnibus frugē. Sed hæc, quāuis alteri congener videatur, non tamen prouenit in aruis nisi cultu diligenti & labore parentur. Aliud aphacen, quanquā vicinum satis, demonstrāt veteres Græci, qui de re veterinaria scripserunt, *αἰκίον* passim neutro genere pronunciantes, pro triuiali fruge vicia, nusquam aphaces meminerūt. Nunc tantos authores fugisset, viciā suo sermone dici aphacen? Sed nunc vnum citasse vel alterū satis erit. E' quo Columella vel ipse ex eo, verbotenus hæc medendi rationem detorsit. Eumeli verba sunt hæc, *τὸν τῆς κεφαλῆς μείονα πόνον δακρύνοντες ὀφθαλμοί, καὶ ὅταν διασραμμεία, κεφαλὴ καὶ τὸ ἰδίον. γῆ δ' ἔνδερα πύαν ἔστω, λίαν ἰσπὸ ὀφθαλμῶν φλέβα, καὶ τὸ σῶμα ἕδατι θερμῶ πυρεῖα, τροφῆς ἀπέχων ποιεί. τῆ δ' ἰβῆς ἡμόρα, γῆρτω χλωρῶ καὶ ἕδατι χλιαρῶ κέκτησο. τῆ δ' τεύχε ἡμόρα, κείθασ' μὲν βικίαν γῆρτω ἰσπὸν ποιεί. καὶ πολίγρον δ'*

πρὸς τὸ ἴδιον, ὡς ἐστὶ πρὸς τὰς αἰσῶν πλὴν ἐστὶ φύσιν ὑγίαν λαμβάνειν. Eadem ad verbum ferè Columella
 tradidit inquit, Capitis dolorem indicant lachrymæ quæ profluunt, aures flac-
 cidæ, & ceruix cum capite aggrauata & in terrâ submissa. Tum rescinditur vena
 quæ sub oculo est, & os calida fouetur, cibóque abstinetur primo die. In postero
 5 autē, potio ieiuno tepidæ aquæ præbetur, ac viride gramen: tum vetus fœnū, vel
 molle stramentū substernitur, crepusculóq; aqua iterū datur, parúmque hordei cū
 vicialibus, vt per exigua portione cibi ad iusta perducatur. Vides idem ergo esse
 viciæ fœnū & vicialia Columella authore. Sed quod apud Eumelum legitur cor-
 ruptè κατὰ λήθη, ex Columella restitui potest, qui κατὰ λήθη, id est crepusculo & pri-
 10 ma luce cōmodius videtur legisse. A græcis, è quibus nostri pleraq; hauserūt, nihil
 quod viciæ spódeat memoriæ proditū est, quare viciam ab aphaca diuersum esse
 genus nō ambigo. Nec idem esse Theophrasto quod Dioscoridi cōstat aphacen,
 qui modo leguminum generi, modo inter olera connumerat, inquit primis ab
 æquinoctio statim imbribus germinare, & aculeis armari, folijs syluestri cichorio
 15 similibus: primam appetente vere florere sed particulatim, nec secus hyeme tota
 totóq; vere in æstatē, verum cū præcox est. properat flos eius qui luteus, sed ce-
 leriter senescit & in lanuginosos pappos soluitur, amaritudine ingustabili. Plinius
 eadem fere sparsim varijs locis repetit, aphacen æquinoctio nasci tradens, caule
 foliato, per partes florēte: sed diuturnior est florū partus, nam subinde vno mar-
 20 cescente emittit alium, tota hyeme totóq; vere vsq; in æstatē, amaro gustu. Sed
 Theophrasto, quod equidem inuenerim, aphaca non siliquatur, cum flos euane-
 scat in pappos, in quibus magna ex parte semen occultitur: nec foliū eius ad len-
 ticulæ, sed magis cichorij frondem aspirat. Plinius ijs quæ varijs sparsim locis di-
 cta sunt, in vnam picturā collectis, assentiri Theophrasto cognoscitur. Hieracia-
 25 rum primū genus à Theophrasto putatur intelligi: vigesimo tamen septimo vo-
 lumine, quinto capite, Dioscoridis deliniationē nulla reclamāte nota secutus est
 Plinius. Natura ei ad spissandum efficacior quàm lenti, reliquo vsu eosdem effe-
 ctus habet. Stomachi, aluiq; fluxiones sistit semen decoctum.

¶ Porrum.

Cap. LXXXII.

30 **P**orri duo genera signauit antiquitas, capitatum, quod increfcit
 in caput: & sectiuum, cui frondentem comā solo tenuis ampu-
 tarunt. hoc si facere velis, densius satum præceperunt veteres
 relinqui, & ita cū increuerit secari. Sed longè melius sectile fie-
 35 ri consuevit si differatur, & modicis spatijs velut inter quater-
 nos digitos depangatur, & vbi conualuerit defecetur. Alij post
 duos menses quàm satum est secare malunt manens in areis suis. Sed quoties re-
 scindetur, aqua iuuari debet & stercore. Sed in eo quod magni capitis efficere
 volēs, seruandum sit, vt antequam translatum deponas, omnes radículas ampu-
 40 tes, & fibrarum summas partes intondeas: tum testulæ, vel conchæ, quasi sedes
 singulis subiectæ seminibus, adobruuntur, vt fiant capita latioris incrementi. sic
 antiqui silice vel tegula subiecta porrorum capita dilatabant. Capitatum assiduam
 sarritionem desiderat, & stercore satiari. Sectile præter id rigari debet, quoties
 demetitur. Semen calidis locis Ianuario, frigidis Februario seritur. cuius incremē-
 tum quò maius fiat, raris linteolis complura grana colligātur, atque ita obruun-

tur. Sed vt magis in caput extuberet, cum radices agit, sarculo leniter comprehensum subleuetur, vt à terra modo quodam suspensum, quod spatij vacuū subter inuenerit, capitis vastitate cogatur implere. Sic inanitas spatij quæ radicibus suberit, incremēto capitis supplebitur. Item si capiti eius rapi semen immittas sine ferro, multum fertur increfcere, melius si frequenter hoc fiat. Sotion græcus author laudat statim atq; satum fuerit puluinos arearum pedibus proculcari, triduumq; velut habitum neglectui minimè rigari, quarto die aquæ cōspersu iuuari, ita probatissimum nasci putat. Si inter serendum arena terræ misceatur, vberimum prodibit. Si dum transfertur, capiti stylo vel arundine citra ferrum puncto cucumeris semen in medium inseras, mirum in modum fertur grandescere, quando seminijs coalescentibus in magnum tumorem extuberabit. Sūt qui non cucumeris sed rapæ semen ventri potius insinuent. hoc in vnitatem coiens, turgidam capiti molem adfert. Item si quāta tribus digitis carpi possunt, oblita fimo femina vetere linteo ligata deposueris, grandis porrus nascetur ex omnibus, si protinus irrigetur. Non olebunt porros, qui cuminū prægustarint. hoc enim esu, vt refert, grauis odor extinguitur. Nunc sarculo radices leniter cōuelluntur, vt delumbatæ alant neque distrahant. Porro duodeuigesimo die à satu prorumpit, bimatū perfert. Ab eo tempore sementescit, & emoritur. Læto solo gaudet, odit rigua. Capitatum, quod & Aricinū cognominarunt, id est quod estur vulgo, simplici capite ex albæ cervicis angustijs extuberante, fronde super terram carinata, & in angulum oblonga, colore adeo viridi vt pro herbaceo porraceus color vsurpetur. Stipes cepitio similis est, sparso quoque per eius cacumen in orbem semine. Duo item sectiui traduntur fastigia. Vnum herbaceum folio, incisuris eius euidentibus, quo vtuntur medicamentarij. Alterum genus rotundioris folij suauiorisq; incisuris lenioribus. Capitatos porros Græci gethyllidas nomināt, quas vt est Athenæus author Latonæ sacras esse narrāt. nam cum Apollinem gestans in vtero prægnantium malacia laboraret, hoc cibo fertur elanguentem appetentiā inuitasse. Quare Polemon vetustus Aristophanis enarrator, cum id olus Latona concupiuisset, latam fuisse Delphis legē tradit in Theoxenijs, qui maximum attulisset porrū huic deæ, sportulam è mensa sacerdotū acciperet. seq; vidisse fatetur Athenæus, gethyllidem in rapi magnitudē excreuisse. Non desunt tamen è Græcis qui gethyon hanc esse censeant. Didymus similia ampeloprasidis gethya fecit, de quibus mox erit dicēdum. Diphilus capitatum tradit extenuare mediocriter & alere, flatus excitare. Cōmendat opsonia, sed meliorē sectili succum corpori sumministrat. Capitata gethyllidas idem dici testatur. Martialis vtriusq; meminit in xenicis, graues sectiui halitus damnans, hoc disticho,

„ Fila Tarentini grauiter redolentia porri

„ Edisti quoties, oscula clausa dato.

Nam odor hunc cibum confestim prodit: sed Aritianis auctoritatem dedit eos vt versibus commendans,

„ Mittit præcipuos nemoralis Aritia porros,

„ In niueo virides stipite cerne comas.

Porrum radice est cartilaginea, candicante, crassa, multis fibris capillata, tunicis quibusdam inuestita. Anniculum solo foliatu contentum magis in frondem luxuriat, ceruice prælonga. Bimum profilit in caulem longum, intus cauum, mul-

tis in vertice floribus aceruatim collectis, & in speciē orbis absoluti conglome-
 ratis. hoc vbi sementescere cœpit intermoritur. Grauem vocem explicat porrū,
 sua lentitia faucium asperitatem deliniens. Certè & perdices vtuntur eo, si cre-
 dimus Aristoteli, canoræ vocis gratia, vt minus mirum sit, hoc ex oleo mansum
 5 à Nerone cum Phonasco daret operā. Porrum, vt Sotion scriptis mandauit, ser-
 pentium, phalangiorūmq; ictibus omni reliquo medicamine celerius, tritum &
 impositum medetur. Omnia arteriæ sanat vitia coctum & ex melle datum. Se-
 men ex passo potum vrinæ difficultates emendat: oculorum tamē aciem hebe-
 tat, si continenter estur, & stomachum male habet. Succus ex aqua mulsa potus
 10 viperarū morsibus auxiliatur. item ex aceto, thure, vel lacte aut rosaceo instilla-
 tus auriū dolores finit: & si sonant eadē aut sibilum elidunt opitulatur. Nec se-
 cus folio prodesse tradit. Laterum doloribus olus hoc succurrit. Porrorum vsus
 perquā salubris, si tantisper incoquantur dum in tabē ferè resoluantur. Quippe
 cū non minus quàm carnes alere creduntur. Acrimoniā deponere Galenus asse-
 15 rit, si bis coquantur. Excalfaciunt corpus, crassos extenuant humores, lentos di-
 gerunt: ideo biliosis esu continuo Amidenus Aëtius interdixit, non in salubri ta-
 men ijs qui lentam crassāmq; collegerunt pituitam. Sanguinē reijcientibus suc-
 cus cū gallæ & thuris farina datur. Hippocrates sine alia mistura dari iubet. vul-
 uas contractas aperiri putat, fœcunditatē etiam fœminarū hoc cibo augeri. Con-
 20 tritum ex melle vlcera purgare, tussim & destillationes thoracis. Tostus editur
 & contra fungorū venena. Venerem stimulat, ebrietates discutit, sitim sedat, in-
 flationē facit quæ tamen stomacho non noceat, ventrem mollit, voci splendo-
 rem adfert. Porrum sectiuum profluuiā sanguinis sistit, naribus contrito eo ob-
 turatis: item ex abortu profluuiā potu succo cum lacte mulierū. Tussi etiam ve-
 25 teri ac pectoris & pulmonum vitijs medetur. Illitis folijs sanantur ambusta, epi-
 nyctides. ita vocatur vlcus aciem hebetans, & in angulo oculi perpetuo humore
 manans. Quidam eodem nomine appellant pustulas liuētes ac noctibus inquie-
 tantes. Auriū vitia, cum felle caprino vel pari mensura mulsi, stridorēsq; cum
 lacte muliebri mulcet: capitīsq; dolores si in nares fundatur, dormiturī sive in au-
 30 rem duobus succi cochlearibus, vno mellis. Succus ad serpentiū scorpionūmq;
 ictus in potum bibitur cum mero. ad lumborum dolores cum vini hemina. San-
 guinem excreantibus, destillationibus & phtisicis vel succus, vel ex ipso cibus
 prodest: item regio morbo, vel hydropicis. Capitato maior est ad eadem effe-
 ctus, si purulēta excreentur. Crudum præter capita, sine pane datur ita vt alter-
 35 nis diebus sumatur: sic & voci, veneri, somno multum confert. Capita bis aqua
 mutata cocta sistunt aluum. Cortex decoctus illitūsq; inficit canos. Capitatum
 Dioscoridi mali est succi, vrinam cit, ventrem mollit, crassitudines extenuat, a-
 ciem hebetat oculorum, purgationes fœminis reddit, vesicam exulceratam re-
 nēsq; lædit. Cum ptisana coctum vitia pectoris emendat. Coma eius in marina
 40 aqua & aceto decocta contractiones vuluæ, ac duritias infidentium tollit. Mi-
 tescit vero porrum, minūsq; inflat bis aqua mutata coctum, deinde frigida per-
 fusum. Semini maior acrimonia, nec sine tamen vi quadam astrictoria. Proinde
 succus ex aceto sanguinis profluuiū præsertim è naribus, adiecto thuris polline
 aut manna sistit. Venerem stimulat. Omnia thoracis vitia tabēmq; cum melle
 45 eclegma datum expedit. Voci splendorem in cibo facit, quanquam frequentius

sumptum, visus obscuritatem adfert. Arteriam expurgat, stomacho nocet. Ad bestiarum morsus succus bibitur ex melle. Idem aurium dolores stridorésq; cū aceto & thure, ac lacte, vel cum rosaceo instillatus discutit. Folijs illitis persanantur vari cum rhu quod ad obsonia expetitur, item & epinyctides. Crustas impositū cum sale perrumpit. Vetusis reiectionibus sanguinis semen duabus drachmis bibendum datur, cum pari baccarum myrti mensura.

¶ Ampeloprason.

Cap. LXXXIII.



Ampeloprason Galenus agreste porrum esse tradidit, si quis ita dicere velit: quapropter acrius sicciúsq; censetur, vti syluestria omnia maiore satiuus acremento placent. Quod & Aegineta Paulus confirmat, asserens ampeloprason velut syluestre porrum esse, siccioreq; natura donatum. Ampeloprason caule profilit bicubitali, folijs porraccis, sed angustioribus, flore candido, radice bulbofa. Prouenit in vinetis, vnde à natalibus ampeloprason, quasi vitigenum porrū Græcis nominatur. Nostrates officinæ vineale porrum appellāt. Sunt & quibus cepe caninum & aratillus vernacula voce dicatur. Ampeloprason in vinetis nascitur, ructu grauis, contra serpentium ictus efficax. Vrinam & menses cit. Eruptiones sanguinis per genitale inhibet potum impositūmq; Longè nocentius stomacho, calidioris item naturæ quàm porrum. Vrinam trahit vehementius, purgationésq; mulierum. Contra serpentium percussus efficacissimum cibum. Dissidet Galeno tantum à porro, quantum in congeneribus syluestre à satiuo. Salgamarij ceparum modo condiunt in aceto, & vsque in sequentis anni prouentum recondunt, sic innocentius redditur. Cauendus biliosis vsus: ijs tamen quibus largior pituita coit, aut crudum lentūmq; humorem colligentibus non incommodus.

¶ Cepe.

Cap. LXXXIIII.



Epæ corpus tunicatum est, tutūmq; pinguitudinis earum cartilagine, folijs ferè porraccis, intus concauis, caule tereti rotundóq; per cuius fastigium semen in orbem spargitur, radice capitata, pluribus cartilagineis compacta tunicis, quæ summatim prætenuibus rufisq; vestitur membranis, nigricante vertice, à quo fibræ capillitij modo fruticant, odore lachrymoso. Cepæ genera apud Græcos plura, quæ gentilia ferè nomina retulerunt, vt Theophrasto placuit, Sardiæ, Cnidiæ, Samothraciæ: item Setanicæ, fissiles, & Ascaloniæ, sic ab oppido Iudææ nominatæ. Setania minima est, sed largior & dulcis: fissiles & Ascaloniæ tum cultu tum natura discrepant inter se. Fissilem hyeme cum sua coma relinquūt inertem, vere folia detrahunt, & alia subnascuntur, iisdem diuisuris. quæ quòd parte findantur inferiore, fissiles appellantur. Hoc exemplo reliquis quoq; generibus detrahi iubent vt in capita crescant, potius quàm in semen effundantur. Ascaloniæ peculiaris est natura, etenim solæ fissæ & velut steriles ab radice sunt, nec parte illa crassescunt, ob id illas femine feri, non deponi iussit Theophrastus: præterea circa ver cum germinant, transferri. Maturæ celeriter putrescunt. Si deponatur, & caulem amittunt & semen, ipsæq; tan-

dem euanescent. has adhuc hodie Galli nominant *ascalotas*, relictis pristini vocabuli rudimentis. Sunt & in honore Creticæ, de quibus etiã dubitant an eadem sint quæ Ascaloniæ, quoniã satis capitata crassescunt. Iulius Pollux Samothraciam cõmendauit. Depositæ in caulẽ semênq; diffunduntur, distant sapore tantum dulci. Latini duo fecerunt genera, condimentariũ quod Græci *gethyũ* vocant, quod ferè sine capite est, ceruicis tantũ longæ, ideóq; totum in frondẽ luxuriat, sæpiúsq; retondetur vt porrum, qua de causa semine feritur, non deponitur. vulgus nostrũ sua consuetudine *cebulam* quasi cepulam vocat, alij *siboulam*: nonnulli *ciuas* vel *ciuones*, quasi cepinas vernaculo sermone profæunt. Alterum capitatum, quod ferè citra ceruicẽ in caput extuberavit, in cuius nominis ambitu est, quæ simplex nõ fruticauit, nec habuit soboles adhærẽtes, qualis est Marfica. Hanc vocant vnionem veteres rustici vt testatur Columella, quod nomen apud Gallos, velut triuiale, hæctenus v surpatũ est. Siquidẽ quod singulari constat capite, nec pluribus coagmentatur bulbis, *vnionẽ* Gallica lingua nominat. quam prius in sole ficcato, deinde sub vmbra refrigeratam substrato thymo vel cunila cõponebant in fidelia, & infuso iure, quod sit aceti triũ partiũ & vnus muria, fasciculum cunilæ superponebãt, ita vt cepa deprimatur: quæ cum ius cõbiberit, simili mistura vas suppleatur. & ita conditã reponebant veteres. Cepæ terrã postulant pingue, vehementer subactam, irriguã. itaq; prius proscindi solũ debet, vt hyemis frigoribus & gelicidijs putrescat, deinde stercorari: mox bidëtibus æqualiter perfossum in areas disponi, vulsis herbis, omnibúsq; deletis radicibus: deinde Februario mēse placido & sereno die, austro vel euro flantibus, semina spargi. Intermiscetur semen satureiæ, nam viridis esui iucunda, & arida non inutilis ad pulmētaria condienda. Si semina voles excipere, cum virentes caulem cœperint excitare, tum humilibus cauteriolis stylorũ rigor conseruandus, scapíq; leuibus adminiculis arundinibúsq; velut iugatæ vites fulciantur: alioqui thalli ceparum ventis agitati prosternentur, deturbatísq; scaporum cacuminibus totũ semen excutietur. quod non antè legendum est, q̃ cum nigrum colorẽ præferebat. Siquidem eo colore integritatem fatetur, nigritiãq; maturitatis index est. Si vero non in semen crescere sed in caput colligi voluerimus, folia radice tenus vellere debemus, sic succus ad inferiora cogetur. Tradunt si minuenta luna serantur, tenues & aciores prouenire: si crescẽte, robustas & saporis humecti. Capita vult Sotion reddi maiora, si cũ transferuntur, fibras omnẽmq; comã auferas. Longè maiores cepæ nascentur, si cum translationi locus est, in terra viginti diebus antè subacta, & tantisper resiccata dũ omnis exhauriatur humor, deponantur. Magis in capita crescent, si detractis tunicis nudæ pangantur. Optimæ rubro solo proueniũt, sicut allia candido. Incorrupte durabunt, si in calidã aquã demersæ, mox insolatæ donec penitus siccescãt, paleis hordeaceis recondantur, ita compositæ vt nulla ex parte sese contingant. Id mirandum occurrit, quod apud Plutarchum quarto in Hesiodũ commentario legitur. Cepe enim reuiescit & congerminat, decedente luna: contrã autem, marcescit adolescente. Eam causam dicunt sacerdotes Aegyptij cur Pelusiotæ cepe non edant, quia solum olerũ omniũ contra syderis incrementa damnãq;, vices minuendi & augendi habeat contrarias. Siquidẽ omnia quæ crescente luna gliscunt, eadẽ senescente tabescunt: quod in ostreis aperte cognoscitur, quas syderis iuuenta cõplet, & vbe

riores facit, senium deplet, macrasque reddit, echinos alit. Eadem muribus fi-
 bras adijcit. Aelurorum oculi has syderis vires sentiunt, qui aut ampliores aut
 minores fiant. Cum ergo fruges, herbæ, arbores ijs lunæ damnis sint obnoxia,
 solum cepe vicissitudines nouit aduersas. Opinantur aliqui, semen eius ab auis-
 bus non attingi, quapropter terra negant obrui debere. Nullum cæli statum re-
 spuit, sed tepidiore lætatur. Hippocrates conspectu magis quàm esu cõmenda-
 uit, eo libro quem de ratione victus inscripsit, asserens bonum visu & corpore
 malum, quòd sit & calidum & æstuosum. Mentem lædi cepa quidam scripsere.
 Cur cepa lachrymas ciet, siue estur siue oculis admoueat, cum nec nasturti-
 um quod maiore morsu laceffit, nec item allium, lachrymas eliciat? Ea nimirum
 vaporem calidum, tenuem, ac lentum expirat, qui ad oculos irreptans lætitia co-
 hæret, & sua tenuitate lancinans dolorem excitat, & sic lachrymas exigit. Na-
 sturtium, vtpote quod calidiore natura præditum sit, id exiccat quod colliqua-
 uit: & cum siccitate polleat multa, nullum expuit vaporem, qui lachrymas pro-
 fundere valeat. Allium & acre & calidum censetur, sed humorem continet qui
 lentus non sit: itaque lachrymam non elidit, nam calida sine humore vaporem
 non pariunt. Acria humida sine lentore dolorem non infligunt, quoniam prius
 vapor lentitia carens discutitur quàm oculis noxam possit imprimere, moram
 quandam efflagitat, quam adhæsiõ sola præstat. Itaque calida & humida, quæ a-
 cremento & lentore participant, lachrymas mouent, vt easdẽ ijs contraria sup-
 primunt. Iam satis ostensum est lachrymosam esse cepam. Sed peruestigandum
 nunc fuerit, si iniri ratio possit eius, quod iterum à Plutarcho traditur, ædito de
 Ifide & Osiride cõmentario. Obseruatũ, inquit, ab Aegyptijs sacerdotibus, ve-
 getiore habitu cepam esse, & lætiorẽ congerminare, luna senescente. quapropter
 id olus auersabantur, eòq; cibo simul & feriatis & castè degētibus interdicebãt,
 ijs, q̄ sitim inuitaret: illis, quòd lachrymas euocans feriarum celebritatem inter-
 pellaret, quibus Aegyptia superstitione imbutis, eæ licet ridiculæ rationes, satisfi-
 ciebant. Agellius ad cæcas illas rerũ discordias, quas vocant antipathias, causam
 reuocare videtur. Sed vt mea fert opinio, cepæ natiuus calor iuuenescētis lunæ
 iutus feruore glutinosum humorẽ pertinacius concoquit, & terrenũ cum aqueo
 aëriõq; cõstantius permiscet. quod minus obiri nequit, quin magna fiat aquei ia-
 ctura, nam glutinosus lentor non ita facile discutitur. quo fit vt partes cepearum
 quæ prius humore distendebantur, eo nunc exutæ flaccescant, & velut passæ &
 in rugas contractæ tabescant. Sed cum sydus orbe toto iam refulsit, & ad inter-
 menstruum spectat, prægnans humorem parit aqueum. quem velut alimentum
 ex aëre perinde atq; terra cum hærent, exuctæ auidius hauriunt, quo vernacu-
 lum lentorẽ ieiunæ foueant, priorẽmq; iacturam illo liquoris raptu resarciant.
 quo velut satiatae turgent, & suctu largiore dissilientes ferè reuifescunt. Siquidẽ
 erutæ solo diutius humi vel in laquearibus pẽsiles, in aëre viuunt, quasi ancipitis
 vitæ, modo è terra, modo ex aëre nutrimentũ capeffant: nam & extra terrã ger-
 minare, & humoris illectu gestire certum est. sed acto colliculo statim euanesce-
 re, cum tunc non satis suppetat crassioris alimonij quo scapus excitetur. depactæ
 cartilago in ceruicem abit. Quin & incrementũ saliuæ cepis declaratur hoc illu-
 ni tẽporis curriculo, cum edomita paululum acrimonia subdulcescat, quæ tunc
 aliquantum ascito humore diluitur. Contrà forsan vsu venit in reliquis naturæ

partibus, quæ lunæ sortem sequuntur, vt gliscant crescente syderis & calore & lumine. Sotion est author, si teneriorē cepam cum melle quotidie ieiuni edant, firmitatem valetudinis custodiri. Addit, vlcera ad sanitatem perducere: contra, aliū ad motu integrū corpus exulcerare. Vitilignes in sole perfrictas delere, succum purulentis auribus prodesse. Illitam anginis auxiliari, sed oculorum aciem hebetare: tostā tussi mederi. Idem cum melle vulneribus imposuit. Alij somnū facere tradiderūt, & olfactu ipso & delachrymationi & caligini mederi, sed magis succi inunctione. Vlcers oris sanare commāducatas cum pane: & canis morsus virides ex aceto perlitas, ita vt post diem tertiū soluantur. Tostam in cinere epithoris multi imposuere cum farina hordeacea, & genitaliū vlceribus. Succo cicatrices oculorū, albugines, & argemas inunxere, & serpentiū morsus, & omnia vlcera cum melle: item auricularū, cum lacte mulierum. & in eisdem sonitū ac grauitatē emendants, cum adipe anserino aut melle stillauere: & ex aqua bibendum dederunt repente obmutescensibus. In dolore quoq; ad dentes colluēdos instillauere, & plagis bestiarū omnium, priuatim scorpionum. Alopecias fricuere & psoras tuis cepis. Coctas dysentericis vescendas dedere, & contra lumborū dolores. Purgamēta quoq; earum cremata ex aceto, serpentiū morsibus liniuere, & sepsis quoq; multipedæ ex aceto. Asclepiades ad validum colorem profici in cibo prædicat: stomacho inutiles esse: ventrem mollire: hemorrhoidas pellere subditas pro balanis. Succum cū succo fœniculi contra incipientē aquam intercutem mirè proficere: item contra anginas ruta & melle. lethargicos eisdē excitari. Medici inutiles esse præcordijs & concoctioni defendunt, inflationē ac sitim facere. Varro quæ sale aut aceto pinfa est arefactaq; vermiculis nō infestari author est. Dioscorides cepas omnes refert cupiditatē veneris adferre, lentitiam pituitę digerere, ventrē exinanire, fastidiū stomacho facere, sitim mouere, hemorrhoidas pellere: exitūmq; omnibus excremētis aperire, detractis corticibus ex oleo subdita pro balanis. Caligines oculorū, argemas, suffusiones, incipiētēsq; nebulas succo discutere. Anginis illitu eūdem proficere, remoratos mēses trahere. Naribus infusum capitis humores deuorare, eōq; canis morsus cū sale, ruta, melēq; lini. Cū aceto in sole vitilignes emaculari, cū pari modo spodij oculorū scabiem finire. Varos ex sale depellere, cōtra calceamentorū attritus cū gallinaceo adipe auxiliari, alui fluxionibus prodesse. Auriū grauitatem ac sonitū emēdare, aut si pus inde manet, aut humor qui coierit elici debeat. Alopecias succo confricari, qui celerius areas quàm alcyoniū pilo repleat. Copiosiores in cibo cepas capitis dolorē creare, vrinas vehemētius exigere. Lethargicos efficere, si quis in aduersa valetudine plus equo vescatur. Cū passis vuis vel fico tubercula maturare, & cōfestim aperire. In omnibus tamē generibus acrior oblōga est q̄ rotūda, itē rufa quàm candida, itē siccata q̄ virēs, recens quàm sale condita, cruda q̄ cocta.

¶ *Allium.*

Cap. LXXXV.

Allium notius est quàm vt debeat indicari, quum frōde vireat cepitia, sed minime caua, tereti caule & inani. in cacumine flores in globum circumaguntur, in quo semē emicat. Radicis bulbus tenuissimus, & quæ separantur in vniuersum, velatur membranis, mox pluribus coagmentatur nucleis & ijs separatim vestitis, in

cuius vertice complures fibræ cirrorū exemplo crispantur, tædioſo vt cepis halitu, aſpero ſapore: quo enim ſpice plures vnâ coierint, hoc aſperius ſentitur. Diſcrimē alliorum multiplex in tempore, præcox quod ſexageſimo die maturuit: ferotinum, quod tardius ad iuſtam maturitatē peruenit, & perfectionē adipiſcitur. Eſt & in magnitudine diuerſitas. Vlpicū nominatur prægrandè, quod Græci appellauere Cyprium allium, alij antiſcorodon, præcipuè Africæ celebratum inter pulmentaria ruris. Trito in oleo & aceto mirum quantū increſcat ſpuma, hinc aphroſcorodon vt arbitror appellant, alij Punicum vocant. Caule adoleſcit multo proceriore, glabro, terete, folijs longè vulgario latioribus, in cuius ſtigio ſemen in cumulum congeritur, capite ex grandioribus ſpicas conglomerato, quæ velut fœdere quodam iunctæ confertim cohæret, & prætenuibus cinguntur membranis, grandiore folliculo omnes ſimul ambiète, ceruice breui, tunnicata, fiſſilibus bulbis, in vnum corpus coaleſcētibus, odore graui. radix primū extumefcit in ſpicas, deinde curuatur: vbi ſuccreuit, in nucleos iterum diducitur. Octobri mēſe fiunt cohæretium ſpicarum diuortia, eaq; liratum ſeri debēt, arearum puluinis impactæ, quo minus infeſtetur hyemis aquis. Sed liræ ſimiles ſint porcis, quas in agris faciunt ruſtici, vt vitent viginē, ſed minores multo, in quarum dorſo nuclei palmari ſpatio diſtantes deponantur. Quidam vlpicum in plano ſeri vetant. Caſtellatim grumulis ſpicas iubent imponi, diſtantibus inter ſe pedes ternos, ſed inter grana quatuor digiti intereſſe debent. Sic etiam allium vulgare conſeritur, ſulcis ſemipedali ſpatio ſeparatis, & nucleis non altè dorſo lirarum impreſſis, interuacante quatuor digitorum mēſura: dein cum ternas fibras emiſerint ſpicæ, ſiue cum tria folia iam eruperint, ſarriri debent. grandefcunt quo ſæpius id factū fuerit, & maius ſemina capiunt incremētum. Sed quo vaſtiora capita fiant, antequā caulem faciant, viridem comam omnē intorque- re, & humi proſternere cōueniet. Sed iam matureſcentiū caules depreſſi in terrā obruantur, ita cauetur ne luxurient in frondem. Si capitatū facere volueris, vbi cœperit ſcapus prodire, proculcato, ſuccus reuertetur ad ſpicas. Ianuario mēſe miteſcit. Fertur, ſi vel obruantur allia, vel eruantur ſolo, luna ſub terris latente, vel in intermēſtruo, virus odoris exuere, neq; acerrimi ſaporis exiſtere, ac ne mandentium quidem halitus inodorari. Allia tradit Didymus dulceſcere, quorum fractæ leniter ſpicæ ſerantur: dulciorem contrahere ſaporem, quæ in pangēdo olearum fraces admiferint. Idem aſſerit, allium ſi luna ſub terris poſita ſeratur, & item ſub terris luna latente vellatur, odoris fœditate cariturum. Edentibus halitus tædium fertur aboleri, ſi crudam fabam ſupermanducarint. Verū ad amoliendam odoris tetri fœditatē, betæ radicē in prunis toſtam ſuperediſſe ſatis eſt. Eo ſiquidē remedio virus extingui Menander è Græcis pollicetur. Diutius quoq; duratura, vel vſui meliora promittunt, ſed in ſatu ſterilia, ſi vel aqua falſa pauliſper intingantur, aut ſuſpēſa caminis fumū experiantur. Paleis etiamnum condita, diutius inueterari cepæ modo, authorum conſtat teſtimonijs. Eum quoq; ſuſpēſa durabunt. Audio apium viride manſis odoris grauitatē aboleri. Maximus allij cum magnete diſſenſus, quam vocant antipathiā, tantūmq; inter has res ſurdas & ſenſu carētes odium, vt ferrū abigat à ſeſe, ſi fricetur allio lapis, Plutarchus author eſt. Itidem cōfirmat Ptolemæus magnetē non trahere ferrum ſi linatur allio. ſicut ſuccinum non allicit amplius ad ſe paleas nec leuiſ-

5
10
15
20
25
30
35
40
45
sima quæq; si prius oleo maceretur. Nec prudētis fuerit viri huiuscemodi cau-
sarum aucupio, quo non facile potiri queat, legentes demorari. Sunt tamen qui
substantiarum similitudini, paribúsq; elementorum misturis, hos effectus cæ-
cos referant, quæ & naturales concordias & amicitias, velut inito quodam in-
ter ea fœdere pariant. Eadem vtique magneti & ferro proprietates hæsit, quæ mi-
stionem sequitur, sed efficaciorē longè, validiorēque in magnete quàm in
ferro causantur: quare magnes consimilis sui voluptate captus, non inuitū rapit
ad se ferrum. quod vt amico fruatur consortio, tractum non renititur, sed per-
fectionem suam desiderans ad magnetē vltro se confert. Quæ vero dissidentes
contrariásque mistiones sortita sunt, dissimilitudine quadam, mutua naturarum
odia conciliarunt, cæcisq; discordijs vsq; eo flagrant, vt admotis, vires tanquam
ab aduersis impeditæ refrenentur, & suis muneribus defunctæ cessent. quod allij
confictus in magnete declarat. Nam cum naturali seditione discordiáq; labo-
rent inimici concursu, hæc facultas elanguescit, & silens torpet aduersario præ-
sente. Multaq; consimila sunt naturæ prodigia, furibundum elephantē visus a-
ries coercet. Vipera faginei ramuli iactu vel oblatu cohibetur. Taurus quantum-
cunque ferox adalligatus feno domatur. Remora pisciculus nauigia stare cogit,
ruant vti licet, sæuiant procellæ, imperat furori, & vires tantas compescit. Suc-
cinum ocymi ramulos festucas omnes imbutas oleo abigit à sese, alioqui rapit
leuissima quæque. Sic illitus allio magnes ferrum respuit. Sed iam ad institutum
redeamus. Theophrastus ait, allium quoque sine nucleis inueniri, quod nec si-
lento prætermisit Dioscorides, asserens in Aegypto satium singulari capite
nasci, in modum porri concreto, gustu dulci, colore ad purpuram spectante. Est
etiamnum syluestre quod ophioscorodon, quasi anguinum allium vocat, in ar-
uis sponte nascens, folijs prælongis, teretibus, intus concavis, iunceam speciem
repræsentantibus, caule procero, leni, purpureos flores ostētante, fastigio tum co-
lore tum forma cōspicuo, radice capitata, nucleis spicatim compactilibus intum-
escente, summo vertice capillamentis fibrato. Tradunt, aduersus improbitatē
alium depascentium semina coctū, ne renasci possit, abijcitur: statim, quæ de-
uorauere aues, manu capiuntur, & si parum commorentur, resopitæ, nam eius
gustatu stupent. Pecudum lac quæ comam eius depauerint allia subolet. Etiam
si in caseos coaluerit, non exiit illam odoris grauitatem. hoc rura *allium agre-*
ste vocant. Hallucinantur omnes medicamentarij institores vnà cum suis pro-
fessoribus, qui hoc syluestre allium in theriacos pastillos adijcere, & in alterius lon-
gè ab hoc dissidentis locum sufficere soleant, turpiter non minus vicinitate vo-
cabulorum quàm imperitia decepti. Nanque scordion, quæ maximè theriacis
commendatur, folio est trissaginis, multo maiore, fimbriato, aliquantum allia re-
dolente, caulibus quadrangulis. quæ scordij facies tantū abest vt syluestri suffra-
getur allio, vt nihil magis illi constet reclamare. Sed cum illis non agamus, qui
bonos authores audire non sustinēt: satis nobis fuerit, vt errores, in quos passim
labuntur, ijs pauculis authorum designationibus possint nunc expiari. Plura in
scordij mētione dabuntur, si nostris votis deus subscribat. Rura ferè frigidis re-
gionibus allio victitant. Inde abiit in hoc adagiū, In retibus allium: quòd Athe-
niēses cum oram soluebant nauigaturi, magnam vim emercabantur, in linteum
conijciantes, vt spero, ne aquarum mutationibus tentarentur, neq; infestarentur

cæli conditione. Ophioscorodon tradit Galenus allium esse syluestre, quod satiuo validius habetur. Censet itidem Paulus. Aliud haberi syluestre Plinius commemorat, quod vocant vrsinum, odore molli, capite prætenui, folijs grandibus. Hippocrates libro quem de victus ratione condidit, allium ait oculis vtile, ventris deiectionem moliri, visus hebetudines delere, vrinas ciere, & spiritosa vitæ excitare, innocētius omnino esse coctum crudo. Contrà sentit Dioscorides, claritati oculorum officere volens. Hinc suspicor nonnihil subesse vitij Græcis libris. Nec simile quicquam apud veteres legitur, qui Dioscoridem adferre solent in testimonium. Verba subiunximus Hippocratis, *σκόροδον τοῖσι ὀφθαλμοῖσι ἀγαθόν, καὶ τῶν γὰρ πολλῶν ποιδύμενον πλὴν ὅτιν ἀπαμβλύνει*, quod est, allium oculis commo-
 dum, nanq; cum abundè deiectionē moueat, visum caligine liberat. nisi qui forsitan legendum putant *ἀπαμβλύνει*, id est q̄ visum hebetet. quibus accedit Plinius, inquiens, vitia allij sunt quòd oculos hebetat. Verum parum sibi constaret Hippocrates, qui fatetur allium oculis bonū, & causam subijciens huius, aluum deijciendo visum hebetare proderet. Sed vtile tradit oculis, quòd sollicitata ventris deiectione, obscuritatē visus amoliat, vel oculos caligine perstrictos expediat, quod *ἀπαμβλύνει* verbum significat, quasi tenebras abigere. Nec etiam omitendum græcè apud eundem legi, *ἀλλοιωτικὸν ἐπιφανείας σωματικῆς*, quod est summā cutem permutare. quod parum proposito Dioscoridis quadrare videtur, qui simili locutionis genere nusquam est vsus, nisi vel corpus in meliorem colorem demutare, vel vitia cutis occulere, verbis ijs intelligat. Marcellus hoc nomine sibi placet, quòd græcum codicem hoc loco se credat emaculasse, quum hunc maximè fugillauerit. Quid aliud fuerit summam corporis cutem variare? nempe comperit non habeo. Sed quotus quisq; tali verborum ambage locutus est? Suspico itaq; *ἐλκωτικὸν ἐπιφανείας σωματικῆς* esse scibendum, id est summam corporis cutem exulcerare. Harumq; vocum simili confinio lubricū ad hoc mendum iter librarijs patuit. Satis tuentur hanc sententiā Sotion & Didymus veteres Græci, qui referunt allium sanū corpus exulcerare: contrà, cepam vlcera ad integritatē reducere. Subscribunt iudicio nostro veterū quædam collectanea, qui secuti Dioscoridem verbo tenus cutē exulcerare prodiderunt. Verum cum primas medicinarum facultates genericasq; statim ab initio demonstret Dioscorides, quibus aliæ vires priuatæ descēdunt, ad quas veluti principes causas, secuti effectus possunt reduci: hæc de more suo, veluti fundamenta quædam dicendorū iacit. Ergo cum in cibis excalfacere & erodere nos monuerit, non abs re postmodū hoc nixus adminiculo, cutē corporis summā exulcerare meminit, ne quis esu interna corrodere putaret. sicut sinapis, piper, & alia pleraq; exterius admota rodunt, intus sumpta calori cedunt innoxia. In quo genere allium esse contēdit, quare summam cutē & non internam stomachi vel oris exesse declarauit erosionem, ad exteriora tantum referens. Quod si libeat explorare, videbis quoq; non cicatricis modo redulcerari, sed & vlcera ipsa perlitu refricari. Allium & cepæ solæ ex plantis reconditæ germinare possunt. Cuius causam reddit Aristoteles, quòd humore alimentōq; sunt refertæ, quorū copia germen excitare queat, cum adolefcendi tēpus appetiuerit. Allia quoq; recens ædita minus olent: sed cū iam adulta caules abiecerunt, longè grauiorē halitū expirant, cum ineunte iuuenta multum humoris diluti contineant: quo per ætatis curriculum euanescente, merum

odorem adipiscuntur, qui acer est admodum. Allij comas cum capite solo moly-
 zā Hippocrates appellat. Caput ipsum, vt Galenus est author, dætis nominatur,
 quod nomē adhuc hodie ruribus nostris immāsit, *daecen* vel potius *daucen* pro dæ-
 tin allij vsurpantibus, qua cū illuxit, hoc ceu condimēto crustas panis infricant
 5 rustici, vt obeundis laboribus sint pares: alij potius, vt hoc velut incitabulo gulæ
 vorandī facultatē antelucanis moliātur, cum iam ad opus se cōferunt. Est quoq;
 scorodoprason, quod & gustu & odore porri & allij conditiones possidet, quasi
 olitorū diligentia in vnū olera duo veluti monstrū aliquod coaluerit. Cōmunes
 vtriusq; vires asciuisse sibi tradit Galenus, cui Paulus astipulatur. Habitu porrū
 10 simul & alliiū æmulatur, & vtrūq; exprimit olus, inde & medias vires simul porri
 alliiq; naturā cōflauit. *alliū porrinū* vocāt officinæ, mutuato ab vtroq; parēte vo-
 cabulo. Allij suffitu secūdos partus euocari existimat Hippocrates, quoniā & ci-
 nere eius cū oleo capitis vlcera manantia sanitati restitui. Diocles phreniticis eli-
 xum, hydropicis cū centauro aut in duplici fico ad euacuandā aluū dedit. quod
 15 efficacius præstat viride cū coriandro in mero potū. Suspiriosis coctū, aliqui cru-
 dum, alij tostū in lacte dederūt. Praxagoras contra regiū morbum vino miscuit
 aduersus ileū. In oleo & pulte illinebāt antiqui, & infaniētibus dabant crudū. Ti-
 neas, vt Didymus adfirmat, & noxia interaneorū animalia pellit: vrinas ciet, vi-
 perarū ictibus auxiliatur, sugillata delet, & liuentia reducit ad colorē. Alopecias
 20 replet, dentiū dolores finit in ore detentū. Eruptionibus papularū ex oleo & sale
 medetur, lētigines & lichenas emaculat, vetustę tussi & crudū & coctū auxiliatur.
 Si quis allio præsumpto feriat a serpēte nullā inde trahet noxā. Item si quis-
 piā alliiū prægustans, venenū hauserit, non nociturū idē asserit: ictibus quoq; ser-
 pentū tritū & impositū mederi. quibus cū vino potū remedio est. Vrinas pellit,
 25 renum vitia sanat. Magnæ & alliorū vtilitates ijs qui cōcoctionis munia nō pos-
 sunt obire. Nec minor efficacia cōtra aquarū & quorūcunq; locorū mutationes,
 quando vescētes ea, nec aquarum vitio, nec cæli mutatione tētari, neq; infestari
 cōditione regionis patiūtur. Cæterū allij genus vnū satiuū tradit, aliud syluestre,
 sponte in cultis nascēs, quod ophioscorodon vocāt. Hoc longē potētius satiuo,
 30 & ad omnes dictas medicinas efficacius. atq; vt aliqui tradidere serpētes abigit,
 & scorpiones odore. Bestiarū omniū ictibus medetur potu vel cibo vel illitu, pri-
 uatim cōtra hēmorrhoidas cū vino redditū vomitu. Contra venenatū muris ara-
 nei morsum valet. Aconitū, quod alio nomine pardaliāches vocatur, debellat, itē
 hyoscyamū depellit. Canū morsibus imponitur, itē vulneribus cū melle. Serpen-
 35 tium ictibus cū restibus suis ex oleo efficaciter illinitur, attritūq; corporū parti-
 bus, vel si vesica intumuerit. Dentiū dolorē tribus capitibus in aceto tritis immi-
 nuit, vel si decocta aqua colluātur, addatūq; ipsum in caua dentiū. Cōtra angis-
 nas tritū imponi & gargarissare prodest. Auribus instillatur succus cū adipe an-
 serino. Cōpescit destillationes cū lacte tritū addito molli caseo, quo in genere
 40 raucitatē extenuat. Pruriges ex aceto & nitro tollit, lendes & pediculos abigit.
 In totū autē coctū vtilius est crudo, elixūmq; tosto. sic & voci plus confert, te-
 nesmo in pulte medetur. Tussi prodest cū adipe vetusto, vel lacte decoctū, & si
 sanguis excreetur, vel purulenta extussiantur. Extrahit fistulis vitia cū sulphure
 & resina, etiā arundines cum pice. Lepras, lichenas, lentigines exulcerat sanatq;
 45 cum origano. Combustū ex melle credunt & comitalem morbū sanare, si quis

eo in cibo vtatur ac potione: quartanas quoq; excutere potum caput vnū cum laſerpiſij obolo. Suppurationes quantaſlibet ſanat fractæ incoctum fabæ, atq; in cibo ſumptū donec ſanitatē reſtituat. Facit & ſomnos, & in totum rubicundiora corpora. Venerē quoq; ſtimulat cum coriādō viridi tritū potūmq; è mero. Viſtia eius ſunt, q̄ oculos, vt Plinius ſcribit, hebetat. Inflationes facit. Stomachū lædit copioſius ſumptū, ſitim gignit. Ceterū contra pituitā & gallinæ & gallinacis prodeſt. Miſtū cum farre in cibo iumenta vrinā reddere atq; non torqueri tradunt, ſi eo trito natura tangatur. Viſ alio acris à Dioſcoride tribuitur. Excalſcit, vellicat, excernit. Inflationes excitat, conturbat aluum, ſtomacho ſiccitatem adfert, ſitim parit, flatuſ ciet, latas ventris tineas cibo ſumptū abigit, vrinā tradit. Cōtra viperarū ictus, & præſertim hæmorrhoi prodeſt, ita vt nō aliud magis, ſi cū mero continēter hauriatur, aut in eodē tritū ebibatur. Valet cōtra mutationes aquarū. Iis quos canis in rabie momordit potu, cibo, illitu ſuccurrit. Vocem expedit, ei ſplendorē reſtituēs. Veterē tuſſim crudum coctūmq; lenit. Pediculos lendēſq; necat cū origani decocto potū. Cremati cinis illitus ex melle ſugillatis medetur. Alopecias cū nardino ad pilū reducit. Erūpentes papulas ex oleo & ſale ſanat. Vitiligines, lichenas, lentigines, manantia capitis vlcera, lepras & furfures rapit cū thure & teda. Dentiū dolorē leuat ſi in ore contineatur. Contra muris aranei venenatos morſus cū ficulneis frōdibus & cumino linitur. Feruefactæ comæ ius menſes & ſecundos partus euocat, ſceminarū deſeſſionibus inditum. ad quæ ſuffitū quoq; proficit. Pulmentū ex eo, & nigris oleis, cibo cit vrinā, meatus aperit, hydropicis vtile. Genus id myttoton appellāt. Galeno propriū allij ſitim mitigare, Dioſcoridi gignere, cui ratio & experiētia ſuffragatur. Conſtat enim excruciarī eos ſiti qui largiore hoc cibo veſcātur: nā & ſiccare ſtomachū tradit, vnde ſitis cōcipitur. Scorodopraſo natura promiſcua, allij dico porriq; tēperatis in eo parentū proprietatibus, vnde coagmentatū conſlatur. Effectus vtriuſq; præbet, minores tantū. Coctum porri modo dulceſcit, & in olerū vicem tranſit.

¶ Sinapis.

Cap. LXXXVI.



Inapis ſementem auſpicantur autumno, vere perficiunt. quinto die poſt ſatum comparet, eōq; ſemel conſito, vix eſt libera re locum: quoniam caducum ſemen protinus viret, ſed ſua ſede immota permaneat. neq; alium cultū depoſcit, q̄ vt ſtercorata runcetur. Planta tamē prima hyeme tranſlata plus cymæ vere adferet. Terram diligit aratam, & ſi fieri poteſt, congeſtiam. quanuis vbicūq; naſcatur, & nullo cultu plerūq; germinet. Tenui puluere fouetur, quare ſarculari debet, vt eo obſita lætior erumpat. Nec minus humore gaudet. ſed de qua ſemen legere cordi fuerit, ſuo loco non moliaris: quam paraueris ad eſcam, robuſtiorē feceris transferendo. Exuētum antiquitate ſemen, & vſui & ſationi cenſetur inutile. quod ſi dentibus fractū intus viride ſpectetur, non uum erit: ſi album, vetuſtatē fatebitur. Vſus cymarum eius etiam pro pulmentario in patellis decocto, citra intellectum acrimoniæ. Coquuntur & folia ſicuti reliquorum olerum. Quæ trium ſunt generum. vnum gracile, alterum rapitiam frondem exprimit, tertium in erucæ folium laciniatur, caulibus ramiſis, ſæpe bicubitalibus, flore luteo, nonnunquam albicante, ſiliquis teretibus, duro ſemi-

ne vesco pullóq; refertis, acerrimi saporis, igneíq; effectus. Apes horum florum
 avidissimæ. Nos tria obseruamus genera. Syluestrius, vbiq; sponte nascens, exi-
 lius, quod vulgus à minori proceritate *sanelã* vocat. Alia numerosioribus altio-
 ribusq; ramulis brachiantur, rapo similia, sed folio minori & asperiore. Veru se-
 5 men euariat, in vno rufescit, in altero cãdicat ex toto. Hanc *blancham mustardam*,
 illam *nigrã* nostri vocant rustici, vtranq; cõmuniter *seneue*. Nobilis est vel celebri
 apud Francos adagio. etenim insignẽ veteratoris astutiam indicaturi, Callidior
 inquit est sinapi, q̃ ignea vi semẽ nares & cerebrum apprehendat, lachrymas
 excutiendo, nullo asperrimi saporis præuio odore. Musteum semen nocte ma-
 10 cerant aqua, deinde manibus expressum adiecto aceto pila terunt, acerrimo ci-
 borum condimento. Alij per vindemias cū musto maduerit semen conterunt,
 ita magnam acementi vim exuit, totóq; anno seruatur. Si vel assidua consue-
 tudine, vel vsu, gratia ciborum exolescit, huius acremẽto fastidiosus gustum re-
 uocant, & hoc velut irritamento elanguescentẽ appetentiã inuitant, quo velut
 15 igniculo morosius palatum titillante, vorãdi moliuntur auiditatẽ. Sed huius vis
 confestim in sublime fertur, nec aliud magis in nares & cerebrũ penetrat. Qua-
 re si modus abfuerit, huius odor naribus raptus, statim sternutamentum ciet, &
 vellicans sensum lachrymas elidit. quod testatur in hortulo Columella canens,
 Sęq; lacessenti fletum factura sinapis.

20 Quæ noxa cæli subito conspectu sum mouetur, veluti noxio halitu per nares e-
 uanescente, nec caput vibratim feriẽte. Antiqui sinapis semen diligenter purga-
 tum cribriq; cretũ, frigida aqua eluebant, & vbi duabus horis immaduisset, ma-
 nibus expressum in emundatũ optime mortariũ conijciebant, & pistillis contu-
 sum totam intritam ad pilæ medium cõtrahebant, & plana manu compressam,
 25 subditis paucis carbonibus viuus scarificabant, aquã nitratam suffundebant, vt o-
 mnẽ eius amaritudinẽ & pallorem exinaniat, erectóq; mortario vt omnis elique-
 tur humor, album acre acetũ adijciebant. sic pistillo permistũ colatũmq; recon-
 debant. Cæterum qui ad vsus conuiuiorum præparabant, cum exinanissent sina-
 pi, nucleos pineos quàm recentissimos, & amyllum infuso aceto, diligenter vnã
 30 conterebãt. Hoc sinapi ad embammata non solũ idoneo, sed etiã specioso ute-
 bantur. Nam si curiosẽ factũ sit, candoris erit eximij. Nec hyeme quicquã ad in-
 tinctus vbiq; cibis frequẽtius intermiscetur, gratissimo obsoniorũ condimento:
 nihil quoq; frigidis diebus magis epulas inuenitur commẽdare. Vulgus hoc *mu-
 stardum*, q̃ forsitan musto frequẽter condiatur, cœpit appellare. Fecit nobili me-
 35 dicamẽto nomẽ, quod vocant sinapismũ. Is variam quidẽ non recipit materiã,
 sed efficacissimus habetur, lōgis & deploratis ferẽ valetudinibus. Si nihil alijs au-
 xilijs proficitur, ad hũc maxime recursus, præsertim cum iam inueterati morbi
 cæteris remedijs nõ cesserunt. Pollet plurimũ sinapismus aduersus vetustos capi-
 tis dolores, etiã si capitis alteram partẽ duntaxat occuparint. Cõtra comitiales,
 40 infaniã, vertiginẽsq; capiti admotus. Valet etiã ad suspiria, orthopnoeas, longas
 tusses impositus thoraci. In vetere destillatione caput cum pectore sinapi linen-
 dum est. Diuturnis stomachi valetudinibus, ischiadicis, articularijs morbis, & o-
 mni resolutæ parti, vel perfrictionibus, quę caloribus nõ cedunt, adhibetur. Mo-
 dus sit viribus medicamẽti, cū locus vehemẽter intumuit, & inflãmatione cingi-
 45 tur, caro turgẽs succrescit, & cicatrifera liuet, & post balineũ pustulis leniter ex-

asperatur. Sed non est cōmittendum, vt partē sensus deficiat, quoniam identidē ardore nimio victam & velut obtupentē amburi latet. quandoquidē cremantia subinde medicamenta sensus omnes corporis sopiunt. Non sunt adfigēdi partibus cartilaginosis vel vlcus sentientibus, aut carne viduis, ne adustionis iniuriā experiantur. Nigrescunt etiam excarnes particulæ quæ sinapismū norunt. Con-
 ficiebatur hac ratione, Fici pingues tepida aqua pridie macerabantur, postridie diligenter manibus expressæ contudebantur: deinde sinapim q̄ acerrimā, qualis est Syriaca vel Aegyptia, priuatim terebant, adiecto ficuum cremore: postremo in offas simul hæc cogebāt. Si sinapismum vehementiorē facere fuisset in animo, binas sinapis portiones ad vnam ficuum addidisse satis erat: si inualidiorē, con-
 trā: si moderatum, æquas vtriusq; partes commiscebis. Sunt qui sinapim in ace-
 to madefaciant antequam deteratur, quo magis eius dometur acrimonia. Post-
 quam ablatus erat sinapismus in balineū descendebant. Si vehemens dolor con-
 flicteret, aut rubore multo membrū perfunderetur, aut tumentibus pustulis sca-
 teret, succo maluæ vel scœni græci cum rosaceo imbutum linteum imponebant: 15
 postmodum rosaceo cerato cum cerussa linebant. Constat itaq; veterum placis-
 tis nihil aliud esse sinapismum, quàm ita præparatæ sinapis illitum. Sed dropax
 qui ex pice fiebat, quare & pittosis, quasi oppicatio dicitur, sinapismū vel antece-
 debat vt ei locū præparet, vel consequitur vt reliquias digerens excutiat. Hal-
 lucinantur itaq; qui sinapismū excitatam vi sinapis exulcerationē esse cēseant, 20
 cum sit verius medicamentū sinapi factum, quo noxiū virus ex alto partis elici-
 tur. Hoc pustulosum sæpe reddit locū, atróq; sugillat rubore. sic parua cutis iac-
 tura, conuerso foras humore, vel in exteriorē partem erumpente, membrum
 seruatur. Sed cur ætate nostra remedij tam excellentis vsum medici respuant,
 nihil possum excusare, nisi vel vilitatem eius, quoniā minimo ære comparetur, 25
 non profuturum alioqui, nisi plures vānerit, vel eiusdem acrimoniam causari,
 quòd sæuitiæ morborum lenioribus blandiri placeat, differentibus magis occi-
 dionem quàm prohibentibus, vt renitenti sæpius ægrotantium voluptati sub-
 scribant. cum quibus subinde melius esset actum, si hoc medicamēti genus in
 vsum reuocaretur. Sinapim probant quæ non obaruerit, quæ rubescat, adultaq; 30
 fit, sed fracta interius vireat, & quasi lactescat succo, colore in cæsiū spe-
 ctante. talis intelligitur recens & florente statu lecta. Excalfacit, attenuat, extra-
 hit. Cōtra pituitam tenetur in ore donec liquecat, commanducaturq;. Succus
 in aqua mulsa gargarissatur contra tonsillas & vetustā arteriæ scabritiem callos-
 samq;. Trita & naribus illata sternutamenta mouet. Suffita morbo comitiali & 35
 vuluarū cōuersioni remedio est. Excitat lethargicos capiti raso illita. Cum ficu
 vero super coxas imposita, donec locū perforet ac exulceret, dolores in ea parte
 subleuat. Itē veteres lienis molestias, & in quacunq; parte corporis vitia ex alto
 extrahēda sunt, illita ad dolorē mutandū ferramenti modo candentis emendat.
 Utūtur ad alopecias cum rubrica. Illinitur & liuoribus sugillatisq; cū melle, aut 40
 adipe, aut cerato. Ad lepras, impetigines, & erraticas febriū polētē modo insper-
 sum potionibus. Additur in emplastra, quibus humor inutilis euocatur, aduer-
 sūsq; scabiē. Auriū tarditatē sonitūsq; trita & imposita cū fico discutit. Hebetio-
 res oculos succo cum melle perungunt, & scabras genas. Succus exprimitur se-
 mine adhuc recēti, siccat in sole. Ad serpentiū ictus & scorpionū trita cū aceto 45

linitur. Fungorum venena discutit. Ad dentium dolorem manditur. Ad vuam gargarissatur cum aceto & melle. Stomacho vtilissima traditur, cōtra omnia vitia, pulmonibúsq; excreationésq; faciles facit in cibo sumpta. Datur & suspiriosis. Sensus purgat, sternutamenta capitis elicit, aluum mollit. Menstrua & vrinā ciet. Hydropicis imponitur: cum fico & cumino tusa partibus ternis, comitialibus. Si vehementior somnus lethargicos premat, cruribus aut etiam capiti illinitur cum fico & aceto. Pustulas facit. In magna duritia sine fico imponitur, & si vehementior vrigo timeatur per duplices pannos. Ex melle caligantes oculos inungunt. Veteres dolores thoracis, lumborum, coxendicū, humerorum discutit. Humores qui in altum corporis decubuerunt, vi caustica euocando, extrahit. Exit è cauliculo succus lacteus, qui cum induruit, dentium dolori medetur. Semen ac radix cum immaduere musto conteruntur, manúsq; plenæ mensura forbetur ad firmandas fauces, stomachū, caput, sensúsq; omnes. Calculos quoq; discutit potū ex aceto. Utuntur ad hos quibus recta & immobilis ceruix intenditur, aut caput scapulis annectitur, illos tetanicos, hos opisthotonicos Græci vocant. Fit & oleum ex semine madefacto in oleo expressóq; quo vtuntur etiam ad neruorum rigores lumborúmq;, & coxendicum perfrictiones.

Nasturtium.

Cap. LXXXVII.

Nasturtium quinto die nascitur, herbis reliquis succum adimit mista satis, frigora contemnit. Quare tam hyeme quàm æstate facillime prorumpit. Quod etsi nobilius quàm vt repræsentari deponat, volumus propter generum differentias eius picturam subiungere. Nasturtium coliculis assurgit sesquipedalibus, longè statim ab radice minorum foliorum pediculo, floribus albis, semine per ramorum latera copioso, firmo, calyculis orbicularibus contento, acri sapore. pinguibus iusculis incoctum magnam acrimoniæ partem deponit. Vulgus nostrū bifariam nominare consuevit, tum *creffionem hortensianū*, tum *alenoyssum*, quasi altile nasturtium. Hoc recens Persis obsonium præstat, auctor est Xenophon, & Strabo post eum. quod & tusculanarum quinto nō substituit Cicero inquit, Persarum à Xenophonte victus exponitur, quos negat ad panem adhibuisse quicquam præter nasturtium, cum principio frugalitatem amplecterentur, mox aucto imperio, in genus omne luxus prolapsi sunt. Mire amplitudinis in Arabia traditur gigni. Milesium nasturtium veteribus laudatissimum fuisse Iulius Pollux est auctor. Babyloniu à Dioscoride & Plinio maximè cōmendatur. Nicædri quisquis fuerit enarrator, tradit acris & ignei effectus esse, caput ideo tētare, impetigines emendare, lepras abolere, carbunculos disrumperre, menses ciere, venerē stimulare, vtero partum emoliri. idcirco grauē serpentibus halitū expirare. Persas tradunt olim nasturtio victitasse, quo magis ab excreatione sputi, mucoso nariū emunctu, & profusione lotij se vindicarēt: quibus maxime noxis pridē fuerunt opportuni. siquidē, vt Hippocrati placet, absumit corpus, sistit candicantē pituitam, ita vt vrinæ tormina concitet. Nasturtiū, vt est Didymus auctor, cum lomēto & stactes parte strumis illitū, opertūmq; brassica vice lintei, præclare medetur. Carbūculos ad suppurationē perducit, & rumpit. Semen ex vino potum, tineas & omnia intestinorum animalia expellit, sed effi-

cacius addita mētha. Pectoris dolores decoctum in lacte caprino perfanat. Suffitu serpentes fugat. Animum exacuere vescentibus traditur. Venerem inhibet. Tussi cum melle remedio est. Vlceribus quæ depascunt imponitur. Succus capillorum sistit defluuia. Porriginem, vlcera capitis cum anserino adipe necnon etiam furfures emendat. Furunculos concoquit cum fermento. Dentium dolores fertur mitigare infuso in aures succo. Detrahit bilem potū in aqua decem denariorū pondo. Capitis vitia purgat, visum clarificat. Commotas mentes sedat ex aceto sumptum. Prodest cōtra suspiria cum origano & vino dulci, item tussim si quotidie ieiuni sumant. Lienem incremento laborantem extenuat ex vino potum vel cum fico. Panos discutit cum pice, extrahitq; corporis aculeos, & maculas illitum ex aceto. Cōtra carcinomata adijcitur ouorum album. Lienibus illinitur ex aceto: infantibus vtiliter è melle. Sestius scorpionibus resistere tradit, vstum serpentes fugare, capitis dolores contritum & alopecias emendare addito sinapi, grauitatem aurium trito & imposito cum fico. Phagedænas vlcerum expurgat cum melle. Coxendicibus ac lumbis cum polenta ex aceto linitur: item licheni & vnguibus scabris, quippe natura eius vrens. Optimum Babiloniū. Syluestri vero ad omnia effectus maior. Vtriusq; semen Dioscoridi calfacit, sapore acri, stomacho inimicū. Aluo negotiū faceffit, interaneorū animalia pellit, lienem extenuat, partus in vtero necat, purgationes mensium ciet. Venerem quoque stimulat. Natura ei omnino sinapis erucaque similis est. Lepras & impetigines tollit. Turgidum lienē cum melle inunctis reprimat & comminuit. Vlcera in faui modum cōcreta perfanat, vitia pectoris decoctum sorbitionibus, venena serpentium potu. Suffitum quoq; refugiunt serpentes. Capillum in capite deciduum continet. Carbunculos perducit ad suppurationem ac rumpit. Ischiadicis cum polēta & aceto illinitur. Tumores collectionesq; discutit. Furunculos cum fermento coquit. Herbae vero ipsi ad omnia eadē effectus, sed minor.

¶ *Thlaspe.*

Cap. LXXXVIII.



Hlaspi, siue vt alijs placet thlaspidion, vt Dioscorides & Plinius tradunt, herbula angustis folijs, digitali longitudine, in terram versis, suppinguibus, in cacumine diuisis, cauliculo tenui, semipedali, non sine adnascentibus ramulis, fructu per ambitum eius contento, summa sui parte parum in latitudinem affuso, semine incluso nasturtij, lenticulae effigie, nisi quod infrigitur, flos albicat. Hanc esse nemo inficiabitur quam vocant herbarij *nasturtium tectorum*, quod subinde nascatur in parietinis: alij syluestre, vulgus nostrum *sinapi rusticum* appellat, quoniam digitis friatum sinapim subolet. Hæc in scrobibus, semitis, & sepibus inuenitur, folijs in terram se conuertentibus, digitum longis, angustis, & quadantenus pinguibus, per extrema leniter incisis, caule sesquipedem alto, agnatis in eo paucis, calycibus capitulatis, breui pediculo nitentibus, quadam ligularum vel cochlearium effigie, in quibus semen continetur, nasturtio simile, sed latius, & velut infractum, lunata peltarum specie. Calyx cum petiolo ligulae formam exprimit, quæ tumidior vna parte sit & altera pressior. Id quod in summo fructum in latus pandi designauit Dioscorides. Imò is repando dorso prominulus extuberat, aduersa parte funditur in latū. Folia colis de-

cumbunt in radicē. Semen acerrimi gustus deprehēditur, ita vt mansum sinapis modo linguā & os vellicet. Quare, vt Galenus scriptū reliquit, abscessus potum rumpit, hærentes menses ciet, partus enecat. Ischiadicis opitulatur, subter per sedem aluo dimissum, vtpote cruenta deiciens strigmenta. quippe cum eximie purgat, bilem vtrinque detrahit. Modus sumendi acetabuli mensura. Alterū thlaspe Crateuas tradit, quod aliqui persiconapy vocant, latis folijs, radicibus magnis, & ipsum vtile ischiadicorū infusioni. Qui *pastoris bursam* vulgo dictam existimant esse, cum foliorum habitu tum seminis gustu & eiusdem figura conuincuntur. Item hæc sanguinis vndecunq; ruentis sistit profluuia, illa mouet. Semen asperi gustus excafactorium, bilem vtrinque detrahit. Modus sumendi acetabuli mensura. Prodest & ischiadicis infusum, & potu sanguinē trahit. Abscessus & vomicas rumpit. Menses quoque cit, sed partus necat. Crateuas reddit & alterū thlaspi, quod aliqui persicum sinapi vocant, latis folijs, radicibus magnis, & ipsum vtile ischiadicorum infusioni. Prodest inguinibus vtrinque & contra omnes collectiones, sed præcipitur vt qui colligit vna manu tollat.

¶ *Drabe.*

Cap. LXXXIX.

DRabe cubitum alta est herba, gracilibus virgulis, quarum latera vtrinque vestiunt folia, quæ planè lepidij viderētur, nisi teneriora essent, candidioraque. In cacumine sambuci gerit vmbellam, in qua candidi flores emicant. Hanc nonnulli herbarum periti *orientale nasturtium* vocarunt, alij *Babylonium*. Inuenitur in noualibus & sæpe cultis cubitali proceritate, ramofo surculorum prouentu, folijs lepidij, incanis sed mollioribus, vmbella sambuci, flore candido, semine ferè fœniculi, cuius nullum à vulgo nomen potuimus extorquere, nisi quòd mihi *cuminum syluestre* nominarunt aliqui. Draba recens Persis obsonium præstat, seminibus aridis. Iidem pro pipere vtuntur in condimentis, & Cappadocibus ptisanæ incoquitur frequenti vsu. Huius herba incoquitur ptisanæ frequēti Cappadocum cibo. Seminibus aridis pro pipere ab obsonia vtuntur, nam ea recte condiunt.

¶ *Erysimon irio.*

Cap. XC.

ERysimum Romanis irio dicitur, caule profilit in lori modū flexili lentoque, folijs erucæ syluestris, floribus luteis. In cacumine siliquas sustinet graciles, vt fœno græco corniculatas, in quibus semina continentur parua, nasturtij specie, gustu ardenti. Nasquitur propter vrbes, & in ruderibus atq; hortis. Italis nunc *nobilis eruca* dicitur. Galli quondam *vellarū* appellarunt. Ex recentioribus *brucam geratinam* & alijs *tortelam*. Quandoquidem hæc circum fossas vrbiū in ruderibus & domorum septis inuenitur, coliculis modo vitilium obsequiosis ac flexilibus, folijs erucæ syluestris, flore luteo, cornutis in summo siliquis, gracilibus, in quibus semen nasturtij simile, feruido sapore. Hac pomœria, aggeres oppidorum, & rudera virent. Gustu mirum in modum erucam imitatur, quare syluestris eruca, licet perperam, quibusdam est dicta. Plinius erysimū repræsentat fruticosum, folijs erucæ angustioribus paulo, semine nasturtij. Gale

nus author est irionis semen gustu nasturtium imitari, sed tanta vrendi licentia donatum, vt si cuiquam in linctu placeat vti, melius fuerit aqua prius maceratum, igni torrefieri, laticis imbre subinde consperso, dein farinacea crusta obductum inassari. sic eclegmatibus inditum, crassam glutinosamque pituitam emolietur. Sed de erysimo non satis inter veteres constitit, quandoquidē Dioscorides, Aegineta Paulus olerum generibus assignarunt. Theophrastus in censu frugum apertissime numerauit. Quem secutus Plinius, pluribus in locis frumentis adscripsit, quanuis idem medicamentis annumerandum potius quam frugibus vigesimo secundo volumine contendat. Irionis etiam controuersa veteribus origo. Nam Theophrastus Pliniúsque feri in agris irionem voluerunt, Galenus in leguminum censu collocauit. Contrà Dioscorides inter rudera circiter vrbes, hortos, & domorum areas prouenire demonstrat. quæ loca semper inculta neglectui traduntur. Quare sunt qui inter fruges pabulis destinatas relatum putant, quòd fœni græci modo, licet longè tenuius, siliquatur. Alijs inter olera numeratur, quòd agrestem erucam folia seménque nasturtium æmuletur. Sed hæc antiquorum placitis repugnare videntur, & plane mihi commentitia. Sed quomodo pabulis dicabitur, cum virens tradat Theophrastus à nullo animante attingi, quod Plinius asseuerat inquis, Nullum animal sesama & irione vescitur virentibus? Nemo itaque pabularem esse fatebitur. Oleribus etiam siliquarum gratia reddere parum huc facit, cum multa siliquas ædunt quæ olerum naturæ refragantur. quare varias fuisse herbas in eam sententiam me traxit, & foliorum & caulium quàm maximum discrimen. Nam irionem inter fruges Plinius, & inter medicamenta cognoscitur quasi varias retulisse, ambarum tamen vires vnà commiscuisse. Irio inter fruges siue malis erysimum, culmo cõsurgit ferulaceo, folijs sesamæ similibus, sanguineis, flore foliaceo. Hoc erysimum sesamæ prorsus idē erat, nisi pinguius esset. Fruges est æstiuæ quæ ante Vergiliarum ortum seritur, qua virente, sicuti neq; sesama, vllum animal vescitur. Hæc ex Theophrasto Plinióq; varijs in locis tradita deprompsimus. Consimilē rura nostra serunt in agris folio hederaceo, sanguineū colorem præferente, scapo grandi, per fastigium paniculas exerente, triangulis rariusculè coaceruatis granis, quæ foliaceis mēbranis detēta continentur. Hanc, quoniam auorum nostrorū ætate è Græcia vel Asia venerit, *Turcicū frumentum* vulgus nominat, multi Gallia tractus *irium*. Huius granū pecudē omnē cæteraq; veterina quamoptime saginat, & in candidissimā teritur moliturve farinam, quæ cum annonæ penuria premit, in panificia subinde cogitur. Agri pleriq; in Gallia toti hac fruge rubēt. Cū ematuruit, granū glumis suis explicitū, saginæ glandis nucleo simile cõspicitur, quod incoquūt rustici, & bubus, iumētis, pecudibúsq; cedit in pabulū. Cuius vsu vehemēter gli scit sagina, mire etenim ab eisdem expetitur, quanuis virentē herbam respuant. Quo argumēto ducor eandem irioni frugiferæ fuisse herbam cuius nunc memineram. maximo tamen discrimine discrepare frugem ab olerum constat citatorum authorum testimonijs. Nam illa culmo profilit ferulaceo, fragili: hoc flexili & vitilium more lento, frangique contumace. Illa sanguineo caule foliõq; micat, hoc viridi semper nitet colore. Huius foliū erucæ syluestris modo laciniatum, illius leguminum modo rotundum & quadantenus hederaceum. Sed quid plura? fruges viridis à nullo estur animante, olus verò recens vbiq; nõ

aliter quàm eruca, suo perquam acri sapore fatua commendat acetaria. quapropter veræ præferunt erucæ. Hinc *nobilis erucæ* nomen apud vulgus meruit. Monstrum quoddam in hac parte naturæ satis constat eos ædidisse, qui vtriusque, dico frugis & oleris, simul deliniamenta permiscuerunt, tradentes irionem fruticosum, caule velut sesama ferulaceo, floribus itidem foliaceis, erucæ folijs angustioribus paulo, sanguineisq; amarū & sesamæ proximum, nisi esset pinguiusculus. Qui herbam omnibus fere cognitā pingentes, hac multiformi portetosaq; facie prorsus obliterarūt. Nec vsquam huic descriptioni respondentem inuenire quis poterit, nisi alteram Theophrasto quem Plinius est sectatus, alteram Dioscoridi quem Galenus & Paulus imitantur, assignet. Plinius oleris vires, etiā picturæ partem frugi videtur attribuisse, forsitan hoc discrimen nō sentiēs. Nam & alia quædam frugum generi Theophrasto tribuuntur, & ijs gentiles herbæ inter incultas & sponte nascentes inueniuntur, vti tipha aquaticis herbis annumeratur, & quædam frumentacea proditur. Sic ergo ne hæc promiscua magnam pariant confusionē, melius fuerit certis notarū discriminibus designare, quasi dicamus irionē frumentaceū, & cereale erysimū, & oleraceū, sic notabile discrimen interueniet. Nanque nonnulla à Theophrasto, quæ longè diuersa facie à posteris representantur. Galenus olfaciens discrimen, erysimon inter cerealia retulit in alimentis, tradens sesamæ coalitu corporis affine, mansu insuauius, ac tenuius alens, ideo deterior illa censetur. sed vtrunq; excalfacit modice, & sitim mouet. Alterius erysimi meminit in simplicium censu. sed multa de ijs suprā diximus Erysimon vtile fluxionibus, thoracis excreationibus purulētis & tussientibus. Datur regio morbo & coxendicibus linctū cum melle. Contra venena etiā efficax potu. Illinitur vero parotidum & carcinomatum malis quæ sint occulta, & cōtra duritias, testium quoque ardoribus & māmārū, Extenuandi natura erysimo & calfaciendi. Quoties vehementer in perluendo ventre eiusvrigo timetur, mitescit immadefactum aqua refrigeratūmq;, aut tostū igni linteolo iniecto & adipe circumlito. Medetur suspiriosis, item fistulis cum axungia vetere ne intus addatur. Vtilissimū sedis vitijs & articularijs morbis cum melle & fico: item lumborum vitijs, torminibus, cœliacis, & in thoracis purulentis excreationibus.

¶ *Hydropiperi.*

Cap. XCI.

HYdropiperi, hoc est aquatile piper, secus stagnantes aquas aut quæ pigro lapsu repunt, gignitur. Caulem ædit geniculatum, robustū, multis alis concuum. Folia menthæ maiora, candidiora, tenerioraq;, gustu piperis amaro, citra illam odoris gratiam. Fructum gerit in ramulis secundum folia, continenti acinorum serie cōgestū vna modo, ipsum quoq; acrem. Hydropiperi nostra non nouit ætas, quod maxime demiror, cum & lacustrium verna sit, ac nihil offendatur aquis familiaris. Notum fiet omnibus, si modo nomen explicuero, quo nunc ferè medici & officinæ vtuntur, interpollato tamen & emendicato alterius herbæ vocabulo. eupatorium nunc, licet falso, nominant. Nam si natalem locum libeat explorare, semper eam iuxta resides aquas, aut tardo fluxu prorepentes nasci comperies. Ambitiosos sequitur riuos. Raro aquas incolit quæ præcipiti feruntur impetu, feruentēsq; decurrūt, sed quæ placidiores euoluuntur. Si caulem intuearis, inuenies

geniculatum, solidum, ita vt fieri fere possent viticularū pedamenta, circa quem
 alæ panduntur, & folia menthæ consimilia, maiora tantum, teneriora, & candi-
 diuscula. Hæc omnia facile diligens quispiam oculis lustrabit. Si vero linguam in
 sapore consulas, gustu meram piperis amaritudinem resipiunt, nullam tamen o-
 doris suauitatem in eis deprehendes. Quin etsi reliquam faciem oculo prosequeris,
 cum adoleuit, offendes fructū in summis surculis prope folia racematim ag-
 gestum, & quadam acinosa serie cohærentem, ipsūque acrem, radicem exigua-
 am & inutilem. Itaque cum natales, caulis rigor geniculis interstinctus, alarum
 sinus, foliorum effigies, gustus piperis inodorus, racemosa fructus facies, huius
 quam modo nominauimus effigiatae deliniationi Dioscoridis ad vnguem amu-
 simque respondeant, ne vlla quidem reclamante penitus nota, nullus relinqui-
 tur ambigēdi locus. Nemo quoque nisi veritatis cæcus hæc poterit inficiari. Fal-
 luntur nimirum qui iuxta profluentes aquas vel stantes nihil tale dicant eis in-
 ueniri licuisse, qui paruam videntur impendisse huic dignoscendæ diligentiam,
 sola contenti imagine depicta libro qui sexcentorum annorum vetustatem re-
 ferret, cum aquosi tractus & vliginosi hoc hydropipere scateant. Fructum, ta-
 men, vt in plerisque, pro seminis & floris inuolucro vel continente vasculo, quo
 semen clauditur, accepit. in eo lanugine semen occultitur cum dehiscit fructus,
 Quod autem fuerit verum eupatorium, in eius mentione docebimus. De subdi-
 titio illo, quo medicamentarij nunc vtuntur, supra locuti sumus. Hallucinatur,
 qui *persicariam* modo nominatam aut vulgo *curagen*, hydropiper esse suspicantur.
 cum foliū huic persici reddatur, vnde nomē, hydropiperi vero mēthæ, cui sum-
 mis ramulorum fructus racematim coit: persicariæ magis corymbi spicatim co-
 hærentes pendent, semine minuto, nigro, ramis ex articulis per interualla prorū-
 pentibus. Natalibus quoque dissidēt. nam hydropiper in lacustrium marginibus
 adolescit, illa magis exiccatis emergit paludibus. Est & in folio persicariæ litu-
 ra maculæ modo conscripta, quæ corniculantis lunæ refert imaginem, quod nō
 fuisset ab authoribus omittendum. Est ergo persicaria, folio persici, flore candi-
 do, spicaceo, gustu acri, semine minuto, caule nodoso, rubenti, lōgo, quorum etsi
 nonnulla sint hydropiperi contributa, folia tamen, coma ramulorum apertissi-
 mē reclamationat. Quibusdam placet, vt molybdenæ, quæ plumbago etiam dicitur,
 species sit. nā Plinio in aruis nascitur folio lapathi, radice crassa, hispida, qua com-
 manducata oculisque subinde religata, plumbum, quod est genus vitij, ex oculis
 tollitur. Certè persicaria maior foliū persicæ arboris habet, fusca in medio plum-
 bagine, caule geniculato, cubitali, semine exili, lente rufo, numerosa radice, in hu-
 midis frequentius proueniēs. Persicaria minor folijs viret sanguinarie, ramis exi-
 libus pennatis, in quorum cacumine corymbi depēdent, de qua inferius dicitur.
 Hydropiperi, vt Galeno placet, minus q̄ piper calfacit. Si virēs adhuc herba cum
 fructu linatur sugillata delebit. Induratos tumores discutit. Itidē censet Paulus.
 Plinius hydropiperis sub hoc herbæ titulo nullā mentionē fecit, nec quid sit apud
 eum vsquā cōperitur. sicut nec Dioscorides nec Galenus Paulusq; piperitidis me-
 minerūt, quō nomen à Græcis manasse satis constet. Siliquastrū Latini vocant. Pi-
 peris sapore reddit, ob id piperitidis nomine accepto. Locis putridis & macris ac-
 roscidis seritur. Plinio Castor taliter demōstrauit, caule rubro, lōgo, dēsis genicu-
 lis, folijs lauri, semine albo, tenui, gustu piperis. Vtilis dentibus, oris suauitati & ru-

etibus. Contra morbos comitiales bibitur. Hæc siliquastrum vel piperitidis effigies, herbam illam exprimit, quam recentior Græcia costum nominat, vulgus *coquon*, in hortis nascentē: nec vlla refragatur deliniatio, cum folio laureo spectetur, ora minutissime ferrata, caule lōgo, cum inolefcit rubefcente, densis geniculis inter-
 5 cepto, strijs exilibus quasi lineis sulcatim in longum protractis, piperato gustu, semine candido, flore abrotoni, comantibus auri fulgore capitellis. Vires etiā astipulantur v sui: quandoquidem & suo piperis sapore, iura commendet. Graue oris halitum emendat, suauitatem concilians: & ructus tædiosos abolet. Siliquastrum piperitimve esse quam vulgus appellat *costum*, quædā officinæ *herbam diuæ Mariæ*,
 10 nemo potest inficiari, quòd vires & pictura respondeant. Costum semine feri Maio & Aprili recentes Græci iubēt, sua radice Nouembri mense, ita iucundiorē naribus odorem efflabit. Falluntur qui hydropiperis speciem esse cõtendant siliquastrum, quibus etsi sapor idem, multum tamen differre mihi videntur, non solum medicinæ v su, sed etiam figura. siquidem siliquastrum & hydropiper natalibus
 15 folijs, seminibus apertissimè dissidēt. Nam siliquastrum laureo vestitur folio, hydropiper menthæ frōdibus viret. Illud caule rubro micat, hoc ex viridi candidate profilit. Vtrunq; geniculis cingitur, sed illud prædēs, hoc tenuibus ac parum prominulis tumet. Vtrunq; piper resipit, sed siliquastrum suauiter olet, hydropiper nullum expirat iucundum odorem. Illud aquas sequitur, hoc hortis tantum
 20 feri gaudet. Vtile est hydropiperis folia cum semine ad tumores, & contra veteres duritias subleuisse. Radicem exiguam & inutilem obtinet.

¶ Ptarmice.

Cap. XCII.

Ptarmice fruticulus est ramulos spargens multos, teretes, abrotono non dissimiles, qui folijs oleaginis frequentibus, longis vestiuntur. In cacumine anthemidis capitulum obumbrat orbiculare, quod suo acri odore sternutamēta ciet, vnde nomen. Nas-
 25 citur in montibus saxosisq; locis. Galenus flores ptarmicę tradit sternutus proritare, quapropter eo nomine donata est. Paulus folia mouere sternutationes scriptū reliquit. Hæc si viridis oblinatur, insignita cæterósq; humorū impetus discutit. Recens secundam calfacientium siccantiūmq; sedem sibi vēdicat, sicca tertiam. Cæterum apud nos herba fruticat, surculis teretibus, paruis, abrotono non dissimilibus, qui folijs olea longioribus & copiosis
 30 ambientur. Cacumen opacat capitulum, floribus anthemidis seu chamæmeli in orbē radiatum, quod suo acri odore nares feriens sternutamentū irritat. Inuenitur sæpius in montibus & saxosis, locisq; quibus tofus subest. Herbarij nostri simul & officinæ, quòd gustum pyrethri modo quanquam mitius vellicet, *syluestre pyrethrum* appellant. cuius flores naribus obiecti sternutamentū eliciunt, olfactum acrimonia titillante. Verum etsi folium oleacæ frondis aliquam referat imaginē, multo tamen arctius cōspicitur, præsertim cum petrosa sequitur. Folio ptarmicę cum suis floribus illito insignita emendantur. Sternutamēta flos efficacius
 40 mouet. Nasctur in montanis saxosisque locis.

Radicula struthion.

Cap. XCIII.



Truthion Græcis, Latinis radícula dicitur, vel lanaria, quæ vt
 olim notissima vulgo fuit, sic à Dioscoride minime depicta re-
 linquitur. spinosa herba est, nõ tamen acanacea, caule lanugino-
 so, folio oleæ. floret estate, grata aspectu, verum sine odore. se-
 men ei nullum. radix magna, teres, oblõga, quæ cõciditur pur-
 gandis lanis. Mirum quantum conferens candore mollitiãque.
 Aequè nascitur fatiua vbiq; , sed sponte præcipua in Asia Syriãq; , saxosis & aspe-
 ris locis. Trans Euphraten laudatissima, caule ferulaceo, tenui, & ipsis cibus indi-
 genarum expetito, nec eorundem mensis ingrato, tingentiq; quicquid sit cum
 quo decoquatur. Succum habet eluendis lanis idoneum. Ea Plinio feruntur ac-
 cepta, ne quis, si sine authore loquar, ea me somniasse cauilletur. Ea est quæ com-
 muni officinarum consensu *saponaria* dicitur, quoniam eluendis vestimentorum
 maculis, sordibúsq; lanarũ expurgandis, saponis vicem exhibet. Quidam *herbam*
fullonum etiã nominãt, quòd interpollandis vestibus, & mangonio poliendis ful-
 lones vtuntur. Mauritanis *condisum* dicitur. Nunc infectores in huius locum alu-
 men substituerũt. Vulgaris est notitiã, locis plerisq; nascens, folio in cespitẽ con-
 fertõ, interuallatim ex eadem radice prodeunte, lauri figura vel oleæ, sed maio-
 re, caule spinoso, breui, lanuginoso, flore, vt inquit Theophrastus, aspectu pul-
 chro, sine semine. Hippocrates commendauit nascentem in Andro insula lito-
 ribus. Plinius aureum poculum medicis vocari tradit, quòd vrinã cieret, aluum
 solueret, vuluãsq; purgaret. Magno versantur in errore, qui nescio quam herbã
 pro saponaria demonstrant apud aquas nascentem, & in glareis, fabaceo caule
 quadrato, bicubitali, glabro, folio plãtaginis, laciniõso, per ambitum ferrato, flo-
 re purpureo summatim emicante, semine nigro in capitulatis calycibus conten-
 to, quasi folliculis in sese inflexis velut in iride & polyporũ cirris, radice pingui,
 crassa, rapum olente. Quæ deliniamẽta minime priori saponariã cõueniunt, sed
 magis clymenum, de quo suo loco dicemus, videntur exprimere. Radicula, quæ
 struthion vocatur à Græcis, tingentibus ramos præparat. vrinam ciet: aluum sol-
 uit, vuluas purgat, quamobrem aureum poculum medici vocãt. Medetur mor-
 bo regio ipsa decocta, & ius potũ: item pectoris vitijs. Ea & ex melle prodest ma-
 gnifice ad tussim, orthopnœæ cochlearis mẽsura. Cum polenta vero & aceto le-
 pras tollit. Eadem cum panace & capparis radice calculos frangit, pellitque. Pa-
 nos discutit cum farina hordeacea & vino decocta. Miscetur & malagmatis &
 collyrijs claritatis causa. Ad sternutamẽta utilis inter pauca, lieni quoq; & iocine-
 ri. Eadem pota denarij vnus pòdere ex mulsã aqua, suspiriosos sanat. sic & pleu-
 riticos, & omnes lateris dolores. Dioscoridi commorantes vrinã trahit, iocineri
 auxiliatur, prodest ad tussim & orthopnœam cum melle, cochlearis mensura al-
 uum resoluit. Eadem cum panace & capparis radice, calculos rumpit, & per vri-
 nam impellit, duritiã lienis discutit. Mẽses elicit subdita, partus in vtero perimit.
 Cum polenta & aceto illita lepras rapit. Cum farina hordeacea panos & vomis-
 cas discutit, sternutamenta mouet. Per os purgat trita cum melle & naribus in-
 fusa. Miscetur malagmatis & collyrijs quæ ad excitandam oculorum aciem præ-
 rantur.

Cyclaminus, rapum terræ.

Cap. XCIII.



Yclaminus à Latinis rapum & tuber terræ, nonnullis etiam vmbilicus terræ, folia habet hederæ, purpurea & varia, in quibus supra infrâque candicant maculæ, cauliculo digitorum quatuor, glabro & folijs carête, floribus in eo purpureis, rosarum effigie, radice corticis nigri, tam lata vt rapum videri possit. Sic eâ Dioscorides representauit. Plinius folia ferre minora quàm hederæ tradit, nigriora & tenuiora, sine angulis, in quibus albicant maculæ, caule exiguo, inani, floribus purpureis, radice lata vt rapum videri possit, cortice nigro. Nasctur in vmbrosis. Flos eius Colossinus in coronas admittitur, in quo nomine genus est coloris, vt Straboni placet, à Colossis vrbe Troadis, vbi præcipua lanitij cõmendatio fuisset, quem purpureum esse colorẽ non ambigimus. Flos in modum rosæ purpura nitet, nec candidus ei redditur à Plinio vel Dioscoride. Prouenit in vepribus & vmbrosis, maximè sub arboribus. Theophrastus, tuber terræ cõmendat aduersus exhalationes inflammationũ, & vlcera ex melle. Succus caput purgat illitus cum melle. Addit, ebrietatem repræsentari si maceratũ in vino potui detur. Adpensa radix hærenteis partus accelerat. Valet ad amatoria. Erutam radicem vinoque subactam digerunt in pastillos. In omnibus ferenda domibus, vt inquit Plinius, si verum est, vbi fata sit nihil nocere mala medicamenta. Suum tamen venenum inest, traduntq; si prægnans radicem transgrediatur, abortũ fieri. Siccata & in orbiculos concisa funiculo transfigitur & scyllæ modo reponitur. Nunc mutata interpollis ineruditorum voce, partim *cyclamen*, partim *panem porcinum* nostra ætas appellat, quòd frutetosus ac vepribus & inter viuas sepes nascẽtem subulci pecori suo gratã pabulis cognorunt. A quo nomen illi fecerunt *porcinum panem* nominantes. Hæc stirpium vmbra gaudet. Quidam in agris agẽtes, quòd sæpius radicem in orbem circũactam intuerẽtur, quæ non in globum extumescens, sed veluti pressa sese in latitudinẽ explicaret, qua forma quotidiano vsu panes visuntur, ignorato vetere cyclamini vocabulo, *terræ panem* cõeperũt appellare. Pernicialia brassicæ & cyclamini sunt odia. Nam ipsum olus quo vitis fugatur, cyclamino aduersum exarescit. An sit eadem Aëtio sphæritis non satis constat, quanquã nonnullis viribus consentiant, sed id non ausim asserere. Soluit aluũ cyclaminos ex aqua pota aut balanis subditis. Sanguinis profluuium eadem sistit, siue ore reijciatur, siue naribus, siue aluo fluat, siue fœminarum vtero. Si mortui sint in vtero infantes, protinus reddit sine vexatione puerperæ cyclaminos adaligata. Pituitas emendat eius radix cum melle. Eadem drachmis tribus bibitur in loco calido, & perfrictionibus tuto, vt sudores felleos moueat. Radicibus cyclamini cum aizoo litis ambusta sanantur, ita vt cicatrix fallat. eisdem omnia corpori infixæ extrahuntur. Sedem conuersam celerrime restituit radix ex aceto. Medetur & podagræ morbo, cuius & decoctum pernionibus prodest. Vlcers manãtia sanat vel per se, vel ex aceto & cum melle. Eadem contra steatomata efficax. Maculas omnes emendat, lepori marino aduersatur, contra serpẽtes omnes bibitur. Veneficiorum est amuletum. nam ferunt vbi fata sit cyclaminos, nihil nocere mala medicamenta. quod si verum est, in omnibus ferenda domibus. Pota radix, vt Dioscoridi placet, pituitam & tentantem aquam per inferna detrahit.

Menses potu appositúve ciet. Tradunt, si pragnás mulier radicem transgredia-
 tur abortum fieri. Adalligata certe partus accelerat. Aduersatur venenis, potissi-
 mum leporis marini in vino sumpta. Ad serpentium quoque ictus vtiliter illini-
 tur. Ebrietatem in vinum addita representat. Arquatum morbum discutit trium
 denariorum pondere pota cum passo & melle misto & bene diluto, vt qui bibe-
 rint conclau cubent calido & à perfrictionibus tuto, subindéque obruátur pan-
 nis vsque dum cōmadeant sudore, ita enim fellei sudores excernétur. Succus in
 nares infusus cū melle, caput purgat: sedi subditus in lana, deijciendis excremen-
 tis viam molitur. sed illitus vmbilico & pubi coxendicum tenuis emollit aluum,
 sed abortus facit. Suffusiones & hebetatam oculorum aciem cū melle salubriter
 illinit. Miscetur medicamentis partum in vtero necantibus. Procidentem sedem
 cum aceto litus resilire cogit. Excipitur succus radice tusa pressáque, vt decoqua-
 tur ad mellis crassitudinē. Purgatur eo cutis, eruptiones pituitæ coercentur. Vul-
 neribus ex aceto & melle medetur. Lienem absumit illita. Molestias cutis in facie
 tollit, alopecias emendat, prodest & ad podagras. Vlcuscula capitis & perniones
 decocto eius commodè fouentur. Vlcera ducit ad cicatricem, si ipsa in oleo ve-
 teri deferuescat, perunctis antè partibus oleo. Excavata radix oleo completur,
 & in cinere calido ponitur, adiecto Tyrrenicæ ceræ pusillo, vt strigmenti cras-
 situdinem contrahat vnguentum, præstantissimo remedio quibus pedes à frigo-
 re alserint intumuerintq;. Siccata radix & scyllæ modo conscissa reponitur. Tra-
 dunt, tusam eam & in pastillos diuisam ad amatoria expeti. Nascitur in vmbro-
 sis, maximè sub arboribus,

¶ Altera cyclaminos.

Cap. XCV.



Emonstratur & altera cyclaminos folijs hederæ sed minoribus,
 geniculatis caulibus, crassisque, circum arbores clauiculatim se
 voluentibus, flore cādido, odorato, acinis hederæ, sed mollibus,
 aliquātum acris & gustu lentis, radice superuacua. nascitur in
 asperis. hæc Dioscorides. Plinius eadem fere refert his verbis, Est
 & altera cyclaminos, cognomine cissanthemos, geniculatis cau-
 libus, superuacuis, à priore distans, circa arbores se voluēs, acinis hederæ, sed mol-
 libus, flore candido, specioso, radice superuacua. Acini tantum in v su siccātur in
 vmbra, tusique diuiduntur in pastillos. Hæc à paucis nunc cognoscitur, omnēsque
 medici, eruditorum pace dixerim, hanc ignorant cyclaminum: sed superior pi-
 ctura eam deliniat, quam nunc herbarij vel officinæ sigillum Mariæ vocant, quan-
 doquidem nihil huic refragari, sed omnia consentire declarabimus. Sigillum Ma-
 riæ folia fert hederacea, minora tātum, caules crassos, vel, vt Plinius inquit, super-
 uacuos, geniculatos, vicinis arboribus capreolorū ritu se conuoluentes, flores cā-
 didos odoratósque, corymbis hederæ, sed mollibus, aliquantū acris, gustu len-
 tis & glutinosi, radice nullius vsus in medicina, prælōga tamen & in mirā molem
 extuberante, ita vt merito quoque rapum terræ dici possit. Sunt tamen qui sugil-
 lationibus abolendis huius vtantur illitu, qui informicationis sensum quendā te-
 neris adfert partibus, quasi carnem exesse pediculi vel formicę videantur. Gluti-
 nosa radix est, cum friatur tam pertinaci lentore vt tangenti cohereat, filáque mit-
 tat prætenuia, nō confestim resilientibus guttulis, sed ad digitos se quasi recipro-

cantibus. Nascitur in asperis, præsertim vbi nō nihil aquæ subest, sed tam alte cre-
 bro descendit, vt eam lambere credatur. Baccæ corymborum ritu racematim
 coeunt, quæ ineunte primum adolescentia virent, & adultæ per maturitatem ru-
 bescūt, tractantibus sequacis etiam lentitiæ digitos comprehendentis. Mauritanii
 5 *bothormariæ* primum, id est tuber Mariæ nominarunt, dein *sigilli Mariæ* nomen ad
 officinas, quæ in barbaros defecerunt, manare cœpit. Radicem, vtpote medicinæ
 superuacua, non explicuit Dioscorides, cum duntaxat fructu medeatur, altera
 tantum radice. Quæ vtrique in globosam magnitudinem intumescere, rapi ter-
 ræ nomen indicat, vt in orbem circinari cyclamini, quasi circularis nomenclatu-
 10 ra satis ostendit. Itaq; cum *sigilli Mariæ* colicorum arboribus intorta conuolu-
 tio, hederaceus foliorum habitus, floris cãdor, acinosa corymborum series, acris
 eorundē mollities & lentor, natalis situs huic vnice cyclamino respondeant, nec
 plura tradantur ab authoribus, eam esse profecto fatendum est. Adde, quòd si vi-
 res, quæ tantum acinis attribuuntur, libeat experiri, ab ijs quæ cyclamino red-
 15 duntur non inuenies abhorre, cum etiam id ratione à saporibus ducta satis col-
 ligi queat. Nam vis acinorum acris, extenuandi naturam sortitur. Quare per al-
 uum & vrinam lienem incremento laborantem imminuit. Eadem facultate reli-
 quias à partu purgat. Orthopnoicis lentore linctus vicem præbete, & acrimonia
 pituitam digerente potest opitulari. Non longè dissimilis, nisi eadem fuerit her-
 20 ba, quæ in Hydroscopico malacocissos à Democrito nominatur, mollibus hede-
 ræ folijs, caule tenero, sese cuicunque quod fuerit nactus inuolente. Tam cadu-
 ca eius est conditio, vt sese sustinere non valeat, nisi pedamento cui accubet ful-
 ciatur, nullo enim corporis rigore cõtenditur. vnde malacocissi, id est mollis he-
 deræ nomen deflexū est. Nascitur in arundinetis, & alto terræ sinu. Subesse aquã
 25 vbi reperitur aquilex affirmat Democritus. Nanque nostra rura radicē huius cy-
 clamini lingere semper aquam adserūt, quam sæpe dum erueretur radicitus de-
 prehendimus in tantam altitudinē descendisse, vt subtus aquarum scaturigines
 erumperent. quibus & ali & nutrimētum haurire certum est, indicio quòd radix
 tota aquoso concretu lentoque constet, friatq; digitis in liquorem resoluta fa-
 30 tiscat. Hæc Dioscorides cissanthemon, & cissophyllon cognominauit, q̄ & fron-
 de & floribus hederam videatur imitari. Plinius tertiã cyclaminum sibi demon-
 stratam asserit cognomine chamæcisson, vno omnino folio, radice ramosa qua
 pisces necabantur, quod Dioscorides nomine tenuis primæ cyclamino tribuit,
 ichthyotheron, à piscium venatu, nominās. Acini huius drachma sumpta in vi-
 35 ni albi cyathis duobus per quadraginta dies, lienē paulatim emittunt per vrinam
 & aluum: orthopnoicis bibuntur. Reliquias à partu puerperis purgant.

¶ *Dracunculus.*

Cap. XCVI.

40 **D**racunculus maior, vt Dioscorides testatum reliquit, prouenit in
 opacis & circum septa, caule glabro læuīq; recto, bicubitali, baculi
 crassamento, versicoloribus draconum maculis, euinentibus nu-
 mero, purpureis, folijs rumicis, mutuo complexo aduersis. Fructū
 summo caule facit racemosum, coloris inter initia cineracei, postea
 quàm ematuruit, croceo & puniceo rutilantis, radice grandi, cãdida, rotunda, te-
 nuī cortice tunicata. Carpitur cū nigrescit maturitate. Sed hæc supposititia mi-

hi videtur, præsertim cum nec Galenus, nec Paulus, qui huius authoris dicta bona fide solent referre, vnus tantum dracunculi meminerunt. Auxit quoque suspicionem, quòd huius picturæ apud veteres, qui Dioscoridis vbique placitis adhæserunt, nullum vestigium ostenditur: & si veterrima queq; consulantur exemplaria, comperientur tandem nihil minoris maiorisque dracunculi discrimine notasse. Sed vter minor dicetur, cum cauli vtriusque bicubitalis assignetur altitudo. Quare caput quod maiori dracunculo dicatū est, historiæ Dioscoridis accreuisse suspicamur, præsertim cum vterque faciem eandem, magnitudinem, habitum, versicoloriam cutem, natales eosdem sibi vendicauit. Nam vterque in vmbrosis circum sepes & senticeta nascitur, rotunda radice, tenui libro vestita, caule recto, bicubitali, baculi crassitudine, versicoloribus anguium maculis, intercurfantibus lituris purpureis, fructu in cacumine racemoso, primum acinis in pallore virentibus. quare in altero cineraceo, in altero herbaceo legitur. qui cū ematuruerunt, croci colore vel punico rutilant. Sed quod lectorem potissimum male haberet, est, quòd folijs videtur multum discrepare, in altero rumicis, in altero hederacea designantur. Sed in longè distantiores angulos exeunt, nec legitimo hederæ circino rotundantur. Huius folij faciem Dioscorides explicuit, in hemionij mentione. nam hemionium dracunculi folio repræsentauit, quod prælongum est, & ferè rumicis figura. Hinc vulgus nostrum sua consuetudine *linguam cerui* vocat hemionium. Quare vt omnis faceat suspicio, vnum genus tantum dracunculi credimus, historia duplici repræsentatum, priorem tamen adiectitiam fuisse, nec ex Dioscoridis sed alterius authoris officina prodijisse iudicamus. Adde, quòd vires, etsi varijs vocibus enarrentur, non tamen dissimiles multum aut abhorretes à sese comperiuntur. In orbe nostro satis frequens inuenitur, & in hortis studiose colitur, ludentis naturæ miraculum, & draconis rudimenta in stirpibus facere cõdiscentis. Simplici caule dracunculus attollitur, binum cubitū alto, læui, glabròq; baculi crassitudine, versicoloribus anguium maculis variegato, purpureis etiam intercurfantibus lituris, ita vt plane serpentis habitum colorémq; mentiri videatur. In vertice comofo folia prodeunt, sena septenave, crassiore pediculo digitorum ritu propendentia, candicantibus respersa notis, rumicis figura, specie tamen hederacea longiore. E foliato scapi fastigio vagina quædam foris herbacea profluit, cubitalis ferè longitudinis, in mucronē sensim turbinata, velut erupturi paratus inuolucrū. quæ cum dehiscens sese pandit, purpureū cornu in acumē fastigiatum demõstrat. Ea seminis incremēto distenta dissilit in rimā, & tandem elanguescens flaccescit, subarescensq; perit relicto cornu. cuius imā partē racemosus fructus ambit, acinis prima pubertate virentibus, & per adolescentiam cocci rubore rutilantibus, gustu mordaci, odore viroso, quandiu ianthinum illud exerit cornu: radice bulbosa, tenui libro vestita. nascitur in opacis sepibus. Sed & iam in hortis feritur, spectabili hiantis draconis forma, solido cornu perinde quasi lingua, cõcauo vaginæ sinu seu rictu serpentis emicante. Nec quis poterit inficiari, hanc esse herbam quã *serpentariam* nomināt officinæ. Nam veteribus Romanis & colubrinæ & serpentalis vsus nominis increbuerat, nec aptius ei vocabulum potuit vsurpari, cum caulis glaber, purpureis respersus lituris, versicolori facie corpus anguinum repræsentat & æquat longitudine. vertex quoque sinuoso oris hiatu linguam exerens cruentam caput exprimit. Dracunculus triplici effigie Plinio de-

mōstratus est, folijs betæ, non sine thyrsō, flore purpureo. hic, vt inquit, est simi-
 lis aro. Alij radice longa veluti signata articulosāque demonstrauere, tribus om-
 nino cauliculis. Tertia demonstratio fuit folio maiore quàm cornus, radice arun-
 dinacea, totidem, vt affirmat, geniculata nodis, quot haberet acinos, totidē-
 que esse folia. Quin & alium in Lusitania se cognouisse fatetur, in hospitis agro
 nuper inibi repertum, eiusdem nomenclaturæ, caule pollicari crassitudine, ver-
 ficoloribus viperarum maculis insigni, quem ferebant vt miraculum è terra ad
 primas vernationes serpentum exire, bipedali ferè altitudine, rursusque cum ijs-
 dem in terram se condere, nec omnino occultari. Eo apparet serpens vel hoc per
 se satis officioso naturæ munere, quæ præmonet, tempusque formidinis osten-
 dit. Sed herbarij quandam ostendunt incultis agrorum limitibus & lapidosis fa-
 miliarem, subrutila radice draconis conuoluti modo, iunceo cauliculo, glabre-
 scente, per ima tantum foliato, spicoso florum vertice, quibus dilutioris purpu-
 ræ color inest. hanc vocant etiam *draconteam*. Aëtius dracūculi semen oculi ter-
 ra, & piperi simile prodidit. Olitores herbam *draconem* vulgo vocatam in hor-
 tis serunt, his toto genere dissimilem, quam mirabili quodam modo nasci præ-
 dicant ex lini semine, raphanis aut scyllæ bulbis incluso, & sic in terram obru-
 to. Herba est pusilla, caule cubitali, nigro & minuto semine, folio tenui & ob-
 longo, acri, vtranque originem prodente, linguā & folio & radice amburēs, ace-
 ti & salis gustu. Hanc quoque inter acetaria olera gratissimam celebrant, quòd
 nec salem nec acetum exigat, vtriusque saporem referens, vtriusque parētis do-
 tes vt puto retinuit. Sypōtinus pyrethrum à veteribus appellari putat, falsus qua-
 dam saporum cognatione. Nam pyrethrum syluestre daucum caule & folio imi-
 tatur: draco potius folijs hyssopum vel linum. illud vmbellam obtendit anethi,
 circinatæ rotunditatis: hæc nullam prorsus ostendit. Seminis succus aurium do-
 lores mitigat, si cum oleo eisdem infundatur. Polypū absumit naribus eodem &
 lana obturatis. Carcinomata illitu sistit. Acinis triginta in posca potis foeminæ
 cōtrahitur abortus. Olfactu, vt ferunt, cū flaccidi flores emarcuere recētes cōce-
 ptus extinguuntur. Natura radice excafactoria. Orthopnoicis prodest. Rupta,
 conuulsa, distillationem, tussēsque finit. Excreationes pectoris faciles exhibet, si-
 ue tosta coctāve cum melle, siue sola estur, siue farina eius ex melle delingatur.
 Vrinam pellit. Venerem excitat è vino pota. Vlcera phagedænas, & quæ vocan-
 tur cacoethe, intrita cum melle & alba vite purgat, & ad cicatricem perducit. Ex
 hac collyria parantur ad fistulas & partus extrahendos. Qui radice suas manus
 perfricauerint, à serpētibus percuti negātur. Ex acetovitilignes emaculat. Cōtrita
 folia vulneribus linamēti loco recētibus imponūtur. Decocto eius ex vino pernio-
 nes fouētur. In folijs dracūculi caseus optime seruatur à carie tutus. Succo radi-
 cis nubeculæ, albugines, & oculorum caligines exteruntur. Radix cruda coctāve
 sanorū cibus expetitur. In Gymnesijs insulis, quæ Baleares appellantur, cocta cū
 melle radix conuiuijs apponitur, placentē vicem implens. Radix per messes effo-
 ditur, elotāque, & filo transfuta in vmbra siccatur. Græci alij semen dracūculi fer-
 uens mordāxq; tradidere, tantūmq; ei virus inesse, vt olfactū grauidis abortum
 inferat: omnino habentē serpentes fugere, ideo percussis prodesse in potu. Aiunt
 & menses sistere, si ferro nō attingatur: succū eius aurium dolori prodesse. Dracun-
 culū hordeo maturescēte iubent effodi luna crescēte. Alij cū diluto crudā radicē

coctamve delingi præcipiunt contra orthopnoëas, rupta, vulsa, destillationes tussisq; potam è vino, venerem stimulare: vlcera cacoethe, phagedæna'sque sanare subactam cū melle & alba vite. Iidem addito melle in collyria digesserūt ad eliciendos partus, extrahendá'sq; fistulas. Ea vitilignes abigunt, polypos in naribus & carcinomata dissipant. Succo medicamentis oculorum adscito, caligines, nubes & albugines discutiūt. Addunt, & olfactu grauidis teneros conceptus abortu vitiare, item si triginta seminis grana bibātur in posca. Quidam succū ex oleo auriū doloribus infudere: folia, vt quæ spissent, vulneribus etiam nū cruentis imponere, vt cocta in vino pernionibus. Eum qui folia manibus contriuerit ferri posse à serpentibus negant. Radicem effossam tenentem easdem bestias fugere. 10 Carpunt succum cum maturitate nigrescit, siccantque in vmbra. Radicem melle fibus effodiunt, ablutam in partes concidunt, dein funiculis transfixam suspendunt locis opacis vt obarescat. Galenus dracunculi radicem semel, iterum & tertio decoctam, quo omnem exueret medicā vim, interdum ari modo in cibis exhibebat, præcipuè cum lenti crassiq; humores maiore nixu sunt propellendi, qui 15 pectoris & pulmonum obsident officinam. multiplex illa siue assatio siue coctura domat acrimoniam.

¶ Aron.

Cap. XC VII.



Aron folia emittit dracunculi, sed minora, paucioribus respersa maculis, scapo dodrantali, in purpuram leniter tendēte, pistilli 20 specie, à quo croci colore fructus exit. Radix alba similis dracuntio. hæc māditur cocta minorē quàm superior acrimoniam præferens. Hæc nunc est in magna nomēclaturarū apud recentiores ambage. Quidam, quòd foliū effigie bubuli vestigij prodeat, *pedem vituli* nominarunt. Alij, quòd dracunculum æmulatur, sola magnitudi- 25 dine discrepās, *serpentariam minorem* appellarūt. Vulgus, q̄ pistillum promit exerti fere genitalis effigie, *sacerdotis virile* nuncupāt. Officinę, corrupto, veluti solēt, vocabulo *iarum*. Siquidē serpentaria minor, vel si mauius vitulinus pes, folia promit dracunculi, minora, paucioribus sugillata lituris, caulem semissem altum, purpurascētem, pistilli facie, in quo fructus croci colore nitet, radice bulbosa, candida. 30 Sed non est omittendum, quòd ante seminis partū sagaci naturæ artificio dignū erumpit inuolucrum, palmari longitudine, quod mucronata in turbinē vaginula pistillum complectitur, & suo fouet sinu, tam est diligens seruandis rerum seminibus natura: sed vbi fructu prægnās fatiscit in hiatum, solida pistilli facies dilutione purpura rutilans emergit: & anfractu penitus patēte, crocea semina spectātur, 35 quæ in coronæ modum cōcinne contexta, imam eius partem ambiūt. Ari folia, vt Theophrastus inquit, cum latitudine caua sunt ac cucumeracea, quibus terra obrutis, radices inhibita germinatione fiunt altiles, cum frondibus luxuriet, quæ perquam amplæ funduntur. Sed vt radix maiore proficiat incremento, deflexæ terra solent operiri, quo minus in germina suscitetur, alimentūmque in suum 40 resiliat caput. Nam radix, vt idem inquit, carnosā, nuda cortice, mandi potest. Quin & folium aceto incoctum estur, suauis profecto cibus. sed caulem ei nullum reddidit. Fuit aron magnæ cum dracuntio litis, dissidentque aliquantum in hoc genere scriptores. Phæniās (vt Athenæus refert) eandem herbam existimā-

uit dracunculum, aron vocans & aroniam: Theophrastus contra, dracunculum
 quendam tradidit aron appellari, quòd maior esset caule: Glaucias satù discreuit,
 dracuntium syluestrem aron pronuncians. Aliqui radicem aron appellauerunt,
 caulem verò dracuntium, in totù alium. Plinius aron radicem nigram in latitu-
 5 dinem rotundam habere, multòque maiorem adfirmat, qua manus impleatur:
 dracunculum autem subrutilam, & draconis conuoluti modo. Hippocrates can-
 didam radicem cum nominauit, dracuntij vult Galenus intelligi. Dioscorides
 tria genera constituisse videtur, dracunculum, aron, & arifaron. Theophrastus
 aron putauit esse genus sub quo species quædam continerentur. Radicē dracū-
 10 culi idem author cibo damnauit, medicinæ tantum natam: aron radicem foliâque
 mensis commendauit. Aron multis laudibus extulit Dioscorides, primum in ci-
 bis elixum edomito concoctu saporis acremento, præferens. folia quoque sale
 condiri præcepit. Dracunculi cibum omnes mensæ fastidiunt, quòd virus insit ei
 graue, feruor, & mordacitas quæ merito cibis respuatur. Sunt qui vt hos autho-
 15 res simul in concordiam reuocent, duo dracunculi genera constituât, maius vo-
 cantes dracunculum, minus aron, cum herbæ quidem sint figurarum notis pro-
 ximæ, sed magnitudinis discerniculo tantum insignes. Dioscorides in depingen-
 do aro multum à Plinio discrepat. De dracunculo quoque parum conuenit inter
 eos, deliniationes tamen Dioscoridis sequi tutius est, cum nullo nõ orbe respon-
 20 dentes his herbæ comperiatur. Nam quauis effigie triplici Plinio monstratum
 sit, quod Græci dracuntium vocant, vnum duntaxat putatur aspirare Dioscori-
 dis picturis, quod erat folijs betæ, non sine thyrsò, flore purpureo, hoc est, vt in-
 quit, simile aro. cui alio loco caulem reddit pollicari crassitudine, versicoloribus
 viperarũ maculis, quem in Lusitania cognouit in hospitis agro nuper ibi reper-
 25 tũ. Alijs alia figura vt ante monstrauius. Rapi modo, vt Galeno placet, aron ra-
 dix estur. Verum quibusdam in regionibus tanta pollet acrimonia, vt dracunculo
 parum cedere videatur. Verũ si recte paretur, acrementũ deponet. Oportet autẽ
 effusa decocturæ prioris aqua statim alteram feruẽtem iniocere, vt in brassica &
 lente solet factitari. Cyrenis minimã præ se fert acrimoniã, adeo vt rapis in cibo
 30 præferatur, quo in loco hanc alendis corporibus vtiliorem esse conspicuum est.
 inde in Italiam transportabant, vt quæ perennaret, nec cariem facile nec germi-
 nationẽ sentiret. Acrior tamen desideratur, cum è pectore vel pulmonibus cras-
 si glutinosiq; humores debent extussiri. Estur ex aceto, oleo, & garo cocta. Ple-
 risque locis acerrimæ sunt aron radices, medicinæ potius q̃ cibis nascentes. Aron
 35 miris laudibus extulere Græci, primũ in cibis foeminam præferentes, quoniã mas-
 dulcior esset, & in coquendo lentior, pectorisq; vitia expurgaret: aridum imposi-
 tione, inspersu, vel eclegmate vrinam & menses cietet. sic in oxymelite potu sto-
 macho, interaneis exulceratis ex lacte ouillo bibendum. Ad tussim in cinere co-
 ctum ex oleo dedere. Alij coxere in lacte, vt decoctum biberetur. Epiphoris eli-
 40 xum imposuere: item sugillatis, tonsillis. Ex oleo hæmorrhoidum vitio infude-
 re, lentigines ex melle illinentes. Clephantus tussientibus aut suspiriosis & or-
 thopnoicis & purulenta excreantibus farina permistum in pane dedit: item pro
 antidoto contra venena, pleuriticis quoque & peripneumonicis. Diocles semen
 tritum cum oleo & rosaceo aurium doloribus infudit. Diodotus tabidis è mel-
 45 le eclegmate, & pulmonum vitijs, ossibus etiam fractis imposuit. Partus om-

nium animalium extrahit naturæ circumlitum. Succus radicis cum melle Attico oculorum caligines ac stomachi vitia discutit. Tussim decocti ius cū melle finit. Ulcera omniū generum siue phagedænæ sint, siue carcinomata, siue serpan, siue polypi in naribus, succus mire sanat. Folia ambustis profunt, item podagricis cū sale recētia vel sicca. Hippocrates ad collectiones quaslibet cum melle imposuit. Ad mēses trahendos feminis vel radicis drachmæ duę in vini cyathis duobus sufficiūt. eadem potio, si à partu non purgantur, & secundas trahit. Hippocrates & radicem ipsam apposuit. Dicunt in pestilentia salutarem esse in cibis. Ebrietatem discutit. Serpentes nidore cum crematur, priuatimq; aspides fugat, aut inebriat, ita vt torpentes inueniātur. Perunctos quoq; aro & laureo oleo fugiunt, ideo & contra ictus dari potu in vino nigro putant vtile. In folijs ari caseus optimè seruari traditur. Dioscorides radici, folijs, semini naturam assignat dracunculi. Priuatim radicem podagris illinebat, omninóq; inter edulia reponit, sic vt ob mitiorem acrimoniam mensis expetatur. Folia quoq; sale inueterātur cibis. Eadem ficcata incoctaque manduntur per sese. Radix dracunculi more reponitur.

¶ Arisaron.

Cap. XCVIII.



Risaron pusilla est herba, radix ei oleæ tuberculo, acrior gustu quàm aron. Galenus longe minus aro tradidit, radicem magnitudine oliuam æquare, multo maioris acrimoniæ. Paulus multo minus esse sentit, sed acrius, radicem oliuæ magnitudinem referre. Aris Plinio similis aro nascitur, minor tantum, minoribusque folijs, & vtiq; radice quæ tamen oliuæ grandis magnitudinē implet: alba geminum caulem, altera vnum tantum emittens, sed Aegypto familiaris. Est & inter genera bulbi, vt idem fatetur, quod in Aegypto vocāt aron, scyllæ proximū amplitudine, folijs lapathi, caule recto, duūm cubitorū, baculi crassitudine, radice mollioris naturæ quæ edatur & cruda. Est etiamnum aris herba Hippocrati, sed qua sit facie non explicat. Herent non immerito quidam, an eadem sit herba aris & arisarum. Ambiguitatē tollit pictura & vires, quæ vtriq; con- similes redduntur. Plinius siquidem eisdem omnino notis arum quibus alij arisarum repræsentauit. Sed imprimis fidem facit apertè nomenclatura, quæ vtriusque retinuit appellationem, duobusque tandem vocabulis in vnum coalescentibus arisaron dici cœpit. quare apud veterimos aris primum, dein posterioribus copulatis vnà nominibus arisarum confictum sit. Adde, quòd si quis eas perpendat diligenter, nec deliniamentis nec viribus inueniet discrepantes. Nam radix oliuæ magnitudinem complet, similis aro, minoribus tantum folijs. Si vires contemplari libeat, nomas vtraq; sistit. Medentur fistulis itidem collyrio immixtæ. Contacto, quod mirum est, genitali cuiusque fœminei sexus vtraque animal in perniciem agit. Nec plura tradūtur ab authoribus. Cum nec viribus nec reliqua facie dissideant, vnam & eandem esse fatendum est. Arisaron medetur vlceribus manātibus, item combustis ac fistulis collyrio immista, acrior gustu quàm aron. proinde nomas sistit illitu. Contacto genitali cuiuscunque fœminini sexus, animal in perniciem agi Dioscorides est author.

Asphodelus, hastula regia.

Cap. XCIX.



Hastula regia, quæ Græcis dicitur asphodelus, herba non ignota multis, folijs porro similibus, scapo læui florem gerente cacuminibus, anthericon vocant. radices longæ, rotundæ, glandibus similes, gustu acri. Theophrastus & ferè Græci caulem eius fecerunt cubitalem & sæpe binum cubitorum, anthericum vocauere, latini albucum, folio porri prælongo, angusto, sublentóq; radice naris modicis simili, nec alia numerosior, octoginta simul aceruatis sæpe bulbis. Scapus, vt placet Theophrasto, albucum dictus, vnice inter omnes excellit, maior q̄ iridis, sed mollior, cæterum eum æmulatur. Semen abundè profert lignosum, triquetra figura, colore atro. Nascitur in orbiculari folliculo qui flori subiectus est, æstate decidens cū dehiscit. Particulatim floret vt scylla, incipiens ab imo. Vermes albucū creat, qui in volucres bestiolas flosculorum specie degenerant. ij tandem cum flaccescens inaruerit scapus, eroso conceptaculo prouolant. Verba Theophrasti subiecimus, q̄ non nihil dubij videatur, *εἰθ' ὅταν ὁ ἀνθέρικος ἀναίθῃ διεστῶν λιπέ πεταί.* cum Theodorus aliter legisse monstretur, *διὰ θῆ* potius, in hūc sensum, Cum herba floret eroso statim operculo animal euolat, quasi Theophrasti codicem emendauerit, de qua re ad rusticos referendū est, qui melius norunt, si volucres vermiculi erumpente flore euolent, vel flaccido caule ascitis alis in floridos abeant papiliones: sed verisimilius, tabescente thyrso, pabuli inopia inuolucrum suum erodere. Caulis id sibi peculiariter vendicauit, quòd tametsi læuis & angustus, in ramulos tamen supernè finditur. Mandebatur olim hic in cinere tostus: item bulbus cum semine, oleo, & sale addito: præterea cum ficis quoque tusa radix præcipua voluptate, vt videtur Hesiodo in syluis eum nasci prædicanti, canenti etiam latere homines quantū cibi copiosioris sit in asphodelo. quāquam ætas nostra lautiozem victum sequuta prorsus ipsum aspernetur. Mentione eius & Homerus fecit inquiring, *κατ' ἀσφρόδελον λειμῶνα.* Sed accentu acuto scriptum notant enarratores Græci, locum hastula regia consitum, vel pratum cuius amœnitate quis capiatur significare, vt loco nuper huc citato: alioquin herbam, sed mutata pronuntiatione. Aristarchus eius radicem quoque prodidit esculentam, & odore grato placet. Sacram Dianæ Proserpinæq; putarunt Rhodij, quare coronis earum asphodelum dicauerunt. Bis anno florere memorat Nicander in suis theriacis. Putant ante portas satum esse veneficij amuletum. Bulbis hastulæ regiæ mures necantur, & cauerna præclusa cōmoriuntur. Hellanicus Nomadas in Libya prodit ex asphodelo casulam factitare, quam circumferunt, vt se valeant ab solis æstu vindicare. Caulem eius cochleæ terrestres mire persequuntur & sugendo arefaciunt. Eius tamen duo genera faciūt vt Plinius refert. albucum intelligētes candidum, cui scapus amplior cubito, purus læuisq;. De quo præcepit Mago Carthaginensis exitu mensis Martij, & Aprilis initio, semine nondum intumescēte, demetendum: findendósq; scapos, quarto die in solem proferēdos, & vbi peraruerunt manipulatim digerendos. Alterū vero asphodelum siue hastulam regiā, cui acinosus sit caulis. Dionysius discreuit sexu, marem & foeminā in ea comperiēs. Dioscorides, Galenus, & Paulus vno contenti genere in species varias non distribuerunt. Verum interdum in frutetis hac inuenitur forma, Cau-

mm.ij.

lis erumpit auricularis, digiti crassitudine, pedali altitudine, in cuius fastigio denæ duodenæve racematim coeunt punicæ baccæ, folijs porraceis, radice fulva, multis bulbis perinde quasi allium nucleis coagmentata. Radices asphodeli Theophrastus Dioscoridésque glandium similes effecerunt. Plinius modicis nâpis eas comparauit, quas frequenter vidimus aceruatis simul triginta quadragintaue bulbis. Officinæ perperam detritis duabus vernaculis literis, & in earum vicem ascitis alijs, *aphrodilos* appellant. Defectis corporibus & tabidis constat bulbos eius cum ptisana decoctos aptissimè mederi, panem ex ijs cū farina subactum saluberrimum esse. Hippocrates semen eius ad impetus lienis dari censet. Nicander contra serpentes & scorpiones vel caulem, vel semen, vel bulbos dedit in vino tribus drachmis, substrauitque somno contra metus. Xenocrates lichenas & psoras radice in aceto decocta tolli putat: item si cocta sit cum hyoscyamo & pice liquida alarum quoque & feminum vitia, & capillum crispiorum fieri, raso prius capite, si radice fricetur. Crateuas veneris desideria auuditatésque tradit finire: radicemque in vino datam drachmæ pondere aduersum podagræ dolores auxiliari. Venerem quoque concitari cum vino & perunctis aut bibentibus tradiderunt. Alij contra perniones decoctam ex oleo, & suffusis felle in vino & aquæ intercutem dederunt. Folia illinuntur venenatorum vulneribus. Bulbi neruis, articulis cū polenta tusi perunguntur. Prodest & concisis ex aceto fricare, item vlcibus putrescentibus imponere, mamarum quoque & testium inflammationibus. Decocti cum fæce vini oculorum epiphoris supposito linteolo medetur. Folijs in quocunq; morbo decoctis medici magis vtuntur: item ad tiliarum tetra vlcera, rimasque corporum quacunq; in parte farina arefactorum. Succus tuis expressus vtilis fit corporis dolori cum melle. Odorem corporis iucundum affectantibus cum iri arida & sale exiguo præbet. Folia strumis, panis, vlcibus in facie decocta cum vino medentur. Cinis è radice alopecias emendat, & rimas pedum. Decoctæ radicis in oleo succus perniones & ambusta sanat. Ad grauitatem aurium infunditur, à contraria aure in dolore dentium. Pota radix prodest vrinæ, mensuris, & laterum doloribus: item ruptis, conuulsis, tussibus drachmæ pondere in vino pota. Eadem vomitiones elicit in vino pota. Semine sumpto turbatur venter. Parotides ammissa vino decocta radice curantur. Quidam aiunt, si imposita radice pars eius in fumo suspendatur, & quarta die soluaturnâ cum radice, arefcere strumam. Addunt, lapides renum in vino decocta atque pota eximi. Iumentorū scabiem ac vlcera radix illita aut decoctæ succus ad pilum reducit. Mures volunt eadem fugari, cauernaque præclusa mori. Autumno bulbi colliguntur, cum plurimum valêt. Dioscorides radicem exalfacere tradit, potam vrinæ & menses ciere. Laterum doloribus, ruptis, vulsis, & tussibus ex vino sumptam mederi. Commanducatam astragali mensura vomitiones adiuuare. Contra serpentes dedit denarijs tribus. ipsos quoque ictus illeuit folijs, floribus, radice, cum vino. Vlcibus fordidis & depascentibus imposuit: item mamarum & testium ardoribus, tuberculis & furunculis decoctos cum fæce vini bulbos, recentibus inflammationibus ex polenta. Succum radicis cum vino dulci vetusto, myrrha, & croco pariter decoctis vt in medicamentum redigantur, oculis iunxit. Auribus purulentis syncerum tepentemque infudit. Aliqui pollinem thuris, myrrham, vinum, & mel admiscuere. A contraria aure in dentium dolore 45

per se demisit. Radicis crematæ cinerem alopecijs ad pilum reducendis imposuit. Oleum in excuatis radicibus decoctum illitu perniones exulceratos & ambusta emendare tradit. Ad aurium surditatem infundi, candidam vitiliginem tollere, sed confricatam ante linteolo in sole. Semen, flores, bulbos in vino potos scolopendræ & scorpionum venenis resistere, ventremque purgare. Floret albucum per messes triticeas. quare post æquinoctium vernali, nondum semine eius intumescete, metitur. Galenus asphodeli magnitudine, figura, amaritudine quadam tenui similem scyllæ fecit. hoc tantum interest, quod lupinorum modo parata plurimum suæ deponat amaritudinis, quæ in scylla pertinacior est quam ut facile possit elui. Cæterum magnis laudibus albucum extulit Hesiodus, paucos nosse tradens, quot in maluis & asphodelo bona reperirentur. Exploratum tamen habuit Galenus, cum fames per Asiam grassaretur, rusticos crebris in aqua dulci macerationibus, longisq; cocturis radicem hanc vix domuisse, ut in cibos famelicis veniret. Extenuat tamen, & inferctus vitia in dracunculii modum expedit. ideoq; cauliculus arquatii præsentii datur remedio.

Bulbi.

Cap. C.

Bulborum facies notior est visa Dioscoridi quam quæ deberet representari, nunc incognita omnibus fere cum medicis tum officinis habetur. sed qua serimus specie demonstrabimus. Bulbi caput ex pluribus nucleis coagmetatur, qui simul in capillitio coeunt, factis sensim eorum diuortijs, ita ut in latius pateant, vertice fibris crispato, medio torosiore, ceruice tenui, tota radice corticosa, foris squarosis membranis tunicata, nullo tamen folliculo omnes partes amplectente, fronde cepitia, terete, inani, angusta, in mucronem desinente, cauliculo dodrantali, in cuius fastigio flos emicat purpureus ut in scylla circumactus. Inueniuntur & simplici capitulo quod tandem in multa coalescere conspicitur. Cæpæ modo tunicati sunt bulbi. Cum capilli velluntur, aut cum vertex præciditur non nihil lactis remittunt bulbi, quo Celsus utitur. Iis rura sibi vorandi facultatem moliuntur, miram enim excitant aviditatem, quare *appetitus* appellationem agris sibi vendicarunt. Verum genus hoc quod in hortis copiosiore coma viret, nucleis gracilioribus, nunc *porretam*, alij *vnionetam* à porri vel vnionis tum sapore tum forma vocant. sic grandioris formæ bulbos eadem donarunt appellatione. Celebravit imprimis Cato Megaricos, quos potissimum serendos præcipit. Damnavit Ovidius ob venerem ut puto, quam mirum in modum stimulat, his numeris,

Daunis an Libycis bulbus tibi missus ab oris,
 An veniat Megaris, noxius omnis erit.
 Ad quam commendavit Martialis in xenijs suis,
 Cum sit anus coniunx, cum sint tibi mortua membra,
 Nil aliud bulbis quam fatur esse potes.

Radice seritur hortensis, nam semine partim primo, partim altero provenit anno. Ut bulbi in caput crescant & grandiore corporis callo protuberent, Anato- lius testam fatorum radicibus substerni præcipit. Serendi tempus à Nouembribus Calendis ad Februarias. Bulbos Cato imprimis serendos præcipit, celebrans Me- garicos. Bulborum genera differunt magnitudine, colore, suavitate. Quippe cum

adeo dulces quibusdam in locis prodeunt vt Cherroneso Taurica, vt crudi facillime mandi possint. post hos in Africa nati maximè laudantur, mox Apuli. Effodiuntur ante ver bulbi, at deteriores illico fiunt. Si finduntur, maturitatem foliorum ariditate fatentur, præsertim si inarescant ab imo. Vetusiores improbat, item paruos & longos. Contrà, rubicundis rotundioribusque laus est, & grandissimis quibusque. Amaritudo sentitur in vertice, media cartilago dulcior. Syluestres & sponte sua nati quibusdam locis inueniuntur. hos nostri sua consuetudine vocat *syluestres cepas*. Theophrastus author est, esse bulbi genus circa ripas amnium nascens, cuius inter summum corticem, eamque partem qua vescuntur, laneam contineri naturam, quæ media conculcetur, ex qua mappæ, aliæ vestesque quondam conficerentur. ob id eriophoron, id est lanigerum appellarunt. Eadem Phæniæ de bulbis retulit. Indis non lanati sed criniti nascuntur. Plutarchus prodidit memoriæ, bulbos nunquam de cælo tægi, quod non exiguitati corporis, sed cæcis rerum discordijs refert acceptum. Nanque sicuti vituli marini tergus aut ficus, ita bulbus fulminis ictum respuit. Hercules, vt est in Amalthis Euboli, bulbis abstinuit, feruorem eorum causatus & grauem halitum. Heraclides Tarentinus in Symposio, bulbos genituram creare putat, non similibus naturis, aut facultatibus, sed quod in ventriculo suo lentore diutius hærentes, implicitum exhibeant humorem. Diphilus medicus eorum naturam in hunc sensum explicuit, Bulbi ægrè concoquuntur, copiosam subministrant alimoniam, stomachum bene habent, abstergendi vim possident, aciem visus hebetant, venerem excitant. Quare, vt Athenæus tradidit, venit in adagium, Nihil te iuuat bulbus nisi farinam habueris. Accersunt profecto venerem, qui regij nominantur. ij sunt cæteris multo præstantiores. Hos sequuntur fului, scyllæ naturam æmulantur. Deterrimi omnium Aegyptij. Nicander Megaræses bulbos commendauit. Prouerbio sunt obnoxij, qui obstipito capite terram spectant, & oculos humi defigunt, quasi bulbos quærant, vt est apud Aristophanem. Libidinosos quoque taxauit, quos ait bulborum ollam deuorasse, quasi mulierosos esse. De bulbis Paulus hæc decreuit, Bulbi astringendi naturam habent, ciborum appetentiam inuitant, firmant stomachum, elidunt screatu quæ glutinosa coierunt in pectore. Leniter elixi magis enutriunt, sed exuentes amaritudinem concoctu non ita iuuant excreationem. Seminis abundantiam præbent. Venerem stimulat frequentior cibus. Flatus excitant, & tormina pariunt. Si cum oleo & garo manduntur, facile coquuntur, nec inflant, Bulbine & sisyrrinchium, quod radice orbiculatur, ad bulborum genus redigi desiderant. In hoc mirum, vt tradit Theophrastus, imas eius radices crescere hyeme: verno autem, cum apparuerit viola, minui ac contrahi, tum deinde bulbum pinguescere. Bulbina folijs est porraceis, flore violæ purpureo, siue ferrugineo in spicis, nigro semine foris, rubicundo radicis bulbo, intus candido, squamis carente. Maurice *buberigim* cognominant herbarij, quam bulbis croci representant, folijs porri, floribus violæ, adduntque hermodactylorum esse speciem. barbaro notior officinis nomine, quam latino vel graio. Bulbinas Diphilus tradit meliorem bulbis creare succum, non tamen ita gratas vtilisque stomacho, quod dulcescentem in se quandam crassitiem contineant. Facile leuiterque ob multam durtiæ excernitur. Matron græcus poeta Ioui Olympio celebres nuncupatasque cecinit, quas in incultis syluis Iouis imber alit, aspectu candidiores